

## Quae ratio intercedat inter undecim capita priora Sext. Aurelii Victoris et libri de Cäsaribus et Epitomes, quae dicitur.

Scrīpsit

Richardus Armstedt.

Ex opere quodam Sext. Aurelii Victoris perduto, quod historiam imperatorum Romanorum ab Octaviano Augusto usque ad Constantium comprehendisse verisimillimum est, librum de Cäsaribus, qui nunc extat et Epitomes capita XI priora excripta esse, Theodorus Opitz commentatione egregia: Quaestionum de Sext. Aurelio Victore capita III in actis soc. phil. Lips. II p. 199—279 argumentis gravissimis demonstrare studuit. Quam ut sententiam in medium proferret primū commotus esse videatur et titulo libri de Cäsaribus, qui legitur in codice Bruxellensi: „Aurelii Victoris historiae abbreviatae ab Augusto Octaviano i. e. a fine Titi Livi usque ad consulatum decimum Constantii Augusti et Juliani Caesaris tertium“ et inscriptione codicum, quibus Epitome conservata est: „Incipit libellus de vita et moribus imperatorum brevius ex libris Sext. Aurelii Victoris a Caesare Augusto usque ad Theodosium“. Deinde autem ea maxime res adduxit virum doctissimum, ut pleniorē Sext. Aurelium Victorem fuisse contenderet, quod in vitas ab Epitomatore conscriptas, etsi plurimis locis ad librum de Cäsaribus iisdem verbis usitatis eodemque sententiarum nexu proxime accedunt, tamen complura inserta inveniuntur, quae Breviator — ut Opitzium secutus hoc nomine auctorem libri de Caesaribus significem — non exhibet.

Neque tamen desunt, qui, hanc quaestionem aggressi, Opitzii sententiam refutent. Quorum in numero imprimis Ludovicus Jeep<sup>1)</sup>, Alexander Enmann<sup>2)</sup>, Arthurius Cohn<sup>3)</sup> sunt nominandi, cum Eduardus Wölflin<sup>4)</sup>, vir doctissimus, ea tantum re ab Opitzio dissentiat, quod censet, Epitomatoris libellum, ex Aurelii plenioris historiis conflatum, amplificatum esse relationibus ex Suetonii vitis Caesarum transcriptis. Atque primus Ludovicus Jeep<sup>5)</sup> quem secuti sunt A. Enmann et A. Cohn, censuit Opitzium erravisse in interpretanda illa inscriptione opusculi Breviatoris, cum putat, nullo tempore quemquam scriptorem Latinum librum, si quem ex alio excerptum dicere vellet, abbreviatum appellasse<sup>6)</sup>, verba „Aurelii Victoris historiae abbreviatae“ nihil aliud esse nisi „breve storia scritta da Aurelio Victore“, abbreviare et brevare esse in brevia redigere. — At Wölflin tribus locis prolatis ostendit, verbum „abbreviare“ idem valere posse atque, „excerpere“<sup>7)</sup>. Quid igitur nos cogit, ab Opitzii interpretatione recedere? Sed ut recte judicaverit Jeep, quid aliud verba significant nisi: historiae, quarum auctor est Aurelius Victor, in brevia redactae, i. e. die Historien des Aurelius Victor in kürzerer Fassung?

Nimis premitur sine dubio verbum „abbreviare“, nam utrum valeat idem atque „excerpere“ an idem sit atque „in brevia redigere“, quid ad rem interest? Ex Aurelii historiis fluxisse libellum de Cäsaribus, id titulo indicari apparet. — An putas, vertendum esse: „Ein Abriss der Geschichte von Aurelius Victor“, vel

1) Rivista di Filologia 1873 p. 508.

2) Eine verlorene Geschichte der röm. Kaiser und das Buch de viris illustribus urbis Romae. Philolog. Supplem. IV 1883, p. 337—501.

3) Quibus ex fontibus Sext. Aurelii Victoris et libri de Caesaribus et epitomes undecim capita priora fluxerint. Dissert. Lips. 1884.

4) Mus. Rhenan. XXIX p. 282.

5) Jeep l. c. p. 508.

6) Cohn l. c. p. 9.

7) Bursiani Annales 3. 1874/75 p. 737.

eine kurzgefasste Geschichte des Aurelius Victor?<sup>8)</sup> Meo jure in dubium voco, cum desiderem exempla, quibus nitatur ea interpretatio. Si Victor verba tituli ita intellegi voluisset, scribendum ei fuit „breviarium“ quo vocabulo Eutropius et Sext. Rufus sunt usi. Miror deinde, quod viri docti non haerent in numero plurali „historiae“, quem inepte auctor posuisset, si breviarium tantum scribere in animo habuisset. Ego quidem verbis „Aurelii Victoris historiae“ admoneor de Sallustii, Taciti historiis, quos scriptores Aurelium ad imitandum sibi proposuisse constat. Neque prorsus neglegendum est, quod in manuscripto Bodleiano, ubi eadem inscriptio legitur atque in Bruxellensi, addita sunt verba: *Ἀπογράφου Βικτωρος ἱστορίας καὶ ἐπιτομῆν.*<sup>9)</sup>

Favent autem nostrae sententiae de Aurelii historiis etiam verba, quae in inscriptione libelli Epitomatoris leguntur: „breviatus ex libris Sext. Aurelii Victoris“ . . .

Quonam modo numerus pluralis „ex libris“ explicari potest, nisi Aurelius plenior fuisset? De errore vero minime cogitari licet<sup>10)</sup> cum ne levissimus quidem scriptor vel scriba, breviatus ex libris Sext. Aurelii Victoris scribere posset, quod libellus Epitomatoris copiosior fere est quam liber de Cäsaribus. Vile autem sane remedium, quod adhibuit Hanckius<sup>11)</sup> ad summovendam difficultatem comprobante Cohnio cum conjicit, post „ex libris Sext. Aurelii Victoris“ excidisse aliorum scriptorum nomina. Neque est, cur propter verba „a fine Titi Livi“, quae Plinii historias „a fine Aufidii Bassi“ sapiunt, cum Cohnio<sup>12)</sup> fidem non habeamus toti inscriptioni, praesertim cum viginti tres anni imperii Augusti in annalibus Livii desint. —

„At libelli de Cäsaribus ipsius, quicumque putant, eum non integrum sed excerptum esse, parum rationem habent. De vita scriptoris, cui tribuitur, instruimur, sententiarum occurrit multitudo, auctor iudicia facit, — certissimi testes, si quaeritur, liber integer sit necne“<sup>13)</sup>. Testes esse gravissimos, libenter concedo, sed quid est liber integer? Distinguit optime Cohn p. 14—16 duo genera scriptorum, unum eorum, qui ingenio quodam praediti, quae ex fontibus hauserint, proprio iudicio pertractent et persequantur. . . Quos solos vere historicos esse appellandos, nam qualescunque sint, totum aliquod et novum exstruere eos aedificium ex materia a superioribus scriptoribus data. Alterum genus et ab hoc alienissimum esse eorum, qui, cum ingenia ad historias scribendas non aspirent satis habeant aut superiorum libros ita excerptare, ut quae sibi necessaria aut gravia non videantur, omittant vel partes quasdam ex plurium scriptorum libris desumere, desumptas leviori vel nullo fere nexu conjungere et ita minima sua opera novum librum conflare. — In horum numero habet vir doctissimus Epitomatores nostrum, in illorum Breviatores. Nemo certe erit, qui dissentiat, sed ut nunc omittam, quae in libro de Cäsaribus de vita auctoris extant — quorsum haec disputatio spectat? Quid Cohn et hac distinctione et illis testimoniis libri integri, sententiarum dico multitudine, auctorisque iudiciis, ad quaestionem de uberioribus Aurelii Victoris historiis perditis profecit? Concedo Epitomatores excerptasse, Breviatores „librum integrum“ confecisse, sed quid obstat, quin utrumque fonte eodem usum esse putemus, ingeniose alterum, alterum inscienter.

Quidni copiam sententiarum et iudicia, quae tamen bis tantum aperta in libro de Cäsaribus legimus<sup>14)</sup>, inde Breviatores delibasse censeamus, cum praesertim apud Epitomatores etsi ab ingenio ejus et consilio alienissimum erat, sententias proferre et iudicia facere, tamen talia inveniantur, et ea quidem quae apud Breviatores desint. Nihil autem refert, utrum ea apud alios quoque scriptores extant necne<sup>15)</sup>, cum satis habeamus scire, ex fonte ea esse exscripta, ejus fuisse propria. —

Prorsus denique Cohn neglexisse videtur, duos scriptores, etiamsi eodem ingenio praediti sint, eodem eruditione et diligentia insignes, diversa consilia in opusculis conscribendis secutos, fontem communem saepissime ita immutatum reddere necesse esse, ut vix illum agnoscas. In nostris vero, quorum alter alteri

8) Enmann l. c. p. 398.

9) Cohn l. c. p. 19 annot.

10) Enmann p. 398: Jener Titel ist durch einen irrthümlichen Schluss aus der stofflichen Aehnlichkeit der Epitome mit den Cäsares entstanden.

11) de Kom. rerum scriptoribus lib. 2 c. 5. — Cohn l. c. p. 54.

12) l. c. p. 9 ann. 10.

13) Cohn p. 16. Teuffel, hist. lit. rom. ed IV 1882 p. 967: In den Cäsares ein Originalwerk des Sext. Aurelius Victor zu sehen, steht nichts im Wege, et p. 968: Der Ton des ganzen spricht für ein Originalwerk.

14) Cohn l. c. p. 16.

15) Cohn p. 17.

mirum quantum virtutibus scriptoris antecedit, id accidere potuisse facillime, quis neget? Quam rem rectissime Enmann maximi momenti esse iudicat illo loco<sup>16)</sup>, quo de ratione inter Breviatorem et Eutropium intercedente haec dicit: Dann aber sei die Aufmerksamkeit wachgerufen auf die Verschiedenheit der Gesichtspunkte, von denen Victor (i. e. Breviator) und Eutrop ihre kurzgefassten Kaiserbiographien zustande brachten. . . . Jedenfalls muss man stets im Auge behalten, dass beide Autoren mit individuellen Gesichtspunkten an ihr Werk schritten, die auf die Auswahl und Behandlung ihres Stoffes nicht unbedeutend influieren mussten. —

Sed jam satis sit de hac Cohnii, ceterorum sententia, saepius ad eam infra recurramus necesse erit. Ostendisse mihi videor, causas a viris doctis et e titulo et e ratione et natura, ut ita dicam, libelli ipsius sumptas infirmiores esse, quam ut iudicium Opitzii de Aurelio Victore pleniore, communi fonte utriusque scriptoris et Breviatoris et Epitomatoris, tollatur.

Quaeramus nunc, quam rationem inter Epitomen et librum de Cäsaribus intercedere viri docti adhuc censuerint.

Atque primo loco examinetur Jeepii opinio, quam omnium facillime refelli posse, Cohn falso iudicavit<sup>17)</sup>. Errat enim, cum dicit, Jeepium eam conjecturam cepisse, ut utriusque libri Sext. illum Aurelium Victorem auctorem esse statueret. Adscribo Jeepii verba, ex quibus me recte iudicare appareat: Devono, civè, avere esistito due opere di Aurelio Vittore, l'una l'Historia de Cäsaribus, a noi pervenuta, ed un'altra da cui è tolta l'Epitome ed andò perduta. — Quella fu il povero frutto del principio degli studii storici d'all'autore intrapresi in una lontana provincia e in cui non potè disporre di mezzi scientifici: questa invece il risultato delle veglie di lunghi anni di studii ripresi nelle circostanze più favorevoli nel centro della vita politica dell'impero romano prouveduto eziando di tutti i sussidii letterarii in Roma stessa in somma, ed in un tempo in cui gli affari del suo officio, che obbligarono di rimanersi fermo in Roma, ad Aurelio Vittore concessero il necessario ozio per studii e lavori scientifici. —

Aurelium Victorem igitur conjicit primum de Cäsaribus librum et eum quidem in Pannonia inferiore, cui legatus a. 361 p. Chr. praepositus erat, deinde Romae majore otio melioribusque adjunctis usum historiarum imperatorum copiosorem scripsisse, unde Epitome sit hausta. Quae cum ita sint, non opus erit ad Cohnii verba pluribus respicere.

Equidem Jeepii sententiam rejiciendam esse non temere putem, cum multa nobis occurrant, quibus probari videatur. Quid? Auctores veteres saepissime libros suos uberiores in Epitomen coegisse, quis est quin sciat? M. Terentius Varro, doctissimus ille vir, nonne antiquitatum libros XLI ipse in brevius rededit? Idemque Imaginum libros XV et opus illud copiosum de lingua latina non ipse propria manu Epitoma circumscripsit? Fenestellam item annales suos in angustum redegisse non satis constat? Sed quid plura de hac re disputem, cum vix cuiquam dubia sit? — Dixerit tamen quispiam, exemplis illis tantum demonstrari, ab usu veterum scriptorum non abhoruisse suos libros uberiores in Epitomen cogere, non confirmari Jeepii sententiam, qua Aurelium Victorem, libello de Cäsaribus Pannonia confecto, Romae historias pleniores scripsisse censeat. Recte, nam in ea re a viro doctissimo dissentio, quod puto Aurelium Victorem ex historiis suis exscripsisse librum de Cäsaribus. Primum enim ignoro exempla, quibus nitatur illa Jeepii sententia, deinde si recte iudicavisset, non dubitaverim quin auctor libelli in Pannonia confecti de situ locorum Pannonicorum rebusque ibi gestis accuratius narraturus fuerit; sed frustra talia quaeras, cum Epitomator omnia quae ad terram illam pertinebant cum diligentia ex fonte suo hauserit<sup>18)</sup>. Quodsi mecum consentias, facilius intellegas quo factum sit, ut unus sonus totius orationis in libro de Cäsaribus sit idemque stilus, ut multitudo sententiarum iudiciorumque nobis occurrat, ut, quamvis parvus sit liber, tamen cum

16) Enmann l. c. p. 340 sqq. Wöhlflin Mus. Rhen. vol. XXIX p. 282 sqq.

17) Cohn p. 8.

18) cf. Epit. I, 7. 8. II, 9. XVI, 12. XIX, 2. XXIX, 1. XXXIII, 1. XXXVII, 3. 4. XL, 10. 16. XLI, 5. 13. 25. XLII, 4. Praeterea inspicias velim XLIV, 1. XLV, 2. 8. XLVII, 1. XLVIII, 1.

cf. Cohn l. c. p. 33. Epitomator in vita Tiberii, recedens a Suetonio tradit Pannoniam, non Moesiam a Sarmatis esse directas, id quod cuius sedium populorum illorum situm animo complectenti apparebit.

imago quaedam dilucida scriptoris nostri appareat tum virtutes ejus mirum quantum eluceant<sup>19)</sup>. Habemus librum integrum attamen excerptum, nec jam miramur, quod de vita auctoris instrui<sup>20)</sup>.

Neque in ea re est haerendum, quod Breviator saepius ab Epitomatore et rebus ipsis et verbis usitatis et ordine rerum recedit, nam qui ex suo libro desumat, ei liberius fonte uti licere, quis neget, cum praesertim certo consilio, diversissimo ab Epitomatore, quo minime res quam plurimas in libellum conferre ejus interesset, novum librum conficere studeret. — Mitto hoc loco quaerere, quomodo factum sit ut in prioribus tantum undecim capitibus Epitome et liber de Cäsaribus conspirent. Permulta afferre licet, quorum illud non levissimum sit, quod Cohn<sup>21)</sup> ipse conjicit, Epitomatorem in libris posterioribus ex fonte ipso Aurelii Victoris hausisse. Etsi enim prorsus alia ratio inter auctores nostros post vitarum caput undecimum intercedit, tamen non modo necessitudinem quandam in omnibus fere vitis perspicuam esse sed etiam compluribus locis miram verborum congruentiam inveniri scimus. Cujus rei duo quidem exempla affert Cohn p. 22<sup>22)</sup>, sed luculentissimum eum fugit, quod extat in Epit. 41, 2 et in libro de Cäs. 40, 2.

EPIT. 41, 2.

Hic (Constantinus) dum juvenulus a Galerio in urbe Roma religionis specie obses teneretur, fugam arripiens, atque ad frustrandos insequentes publica jumenta, quaqua iter egerat, interfecit et ad patrem in Britanniam pervenit: et forte iisdem diebus ibidem Constantium parentem fata ultima perurgebant. Quo mortuo cunctis qui aderant annitentibus, sed praecipue Eroco, Alamannorum rege, auxilii gratia Constantium comitato, imperium capit.

Ex Aurelii vero ipsius opere ea fluxisse, vix quisquam judicabit, cum intellegi non possit, qua re commotus his tantum locis verba fontis presserit Epitomator, cum in prioribus capitibus ad verbum fere exscripserit.

Sed aliud accedit, quo satis luculenter apparere mihi videatur, Epitomatorem in vitis posterioribus ad alium fontem se vertisse. Quamquam enim facillime fieri potest, ut etiam unus idemque scriptor, qui, certum consilium secutus, suas historias uberiores excerptit, his illis rebus omissis imperatoris imaginem, ut ita dicam, paullo immutatam reddat, tamen veri dissimillimum est, Epitomatorem si Aurelium ipsum inspexisset in vita moribusque imperatorum nonnullorum describendis et diducendis adeo a fonte dissen- surum fuisse. Liceat mihi paucis exemplis demonstrare, quod discrimen hac in re intercedat inter Breviatorem et Epitomatorem.

Animum intendas velim ad imperatores, Illyricorum indigenas<sup>23)</sup>, quorum Breviator vel potius Aurelius Victor acrem judicem se non praebet. Diocletiani quidem vitia etsi silentio non praeterit (cap. 39, 2—7 f et ejusd. cap. § 47) tamen addit § 8: „Verum haec in Valerio obducta ceteris bonis; eoque ipso, quod dominum dici passus, parentem egit: satisque constat, prudentem virum edocere voluisse, atrocitatem rerum magis quam dominum officere“ et eum et ceteros Illyricos Maximianum Herculium, Julium Constantium, Galerium Maximianum Armentarium, quamquam humanitatis artibus parum imbuti erant, satis optimos rei publicae laudibus effert. Magnopere praeterea admiratur, aliis alia aestimantibus, „quod Diocletianus, celebrato regni vicesimo anno valentior curam reipublicae abjecit“ et „quamquam veri gratia corrupta sit, ei tamen excellenti natura videtur ad communem vitam, spreto ambitu, descendisse“. (39, 48) Mortem sibi ipsum per formidinem Diocletianum conscivisse, non commemorat<sup>24)</sup>.

19) Cohn l. c. p. 15.

20) cf. supra p. 2.

21) l. c. p. 23.

22) l. c. Cäs. 33, 16 — Epit. 33, 2. Cäs. 34, 3 — Epit. 34, 3.

23) de Cäs. 40, 1.

24) Epit. 39, 7.

de CAES. 40, 2.

Quod tolerare nequiens Constantinus . . . . .  
fugae commento, quum ad frustrandos insequentes publica jumenta, quaqua iter egerat, interficeret, in Britanniam pervenit: nam is a Galerio religionis specie, ad vicem obsidis tenebatur. Et forte iisdem diebus ibidem Constantium patrem vitae ultima agebant. Quo mortuo cunctis qui aderant annitentibus imperium capit.

Neque minus abhorret Breviatoris iudicium de Herculo ab iis, quae Epitomator censet. Breviator de eo dicit (39, 17): „Maximianum statim, fidum amicitia quamquam semiagrestem, militiae tamen atque ingenio bonum, imperatorem jubet (sc. Diocletianum<sup>25</sup>). Libidinem Herculi reticere quidem non potest<sup>26</sup>), neque impotentiam animi, qua ad imperium iterum petendum excitabatur, sed ad ignoscendum vel excusandum animum inclinatur, cum dicit 40, 5 Maxentium „retractante diu patre Herculo“ esse creatum imperatorem et postea § 21 ejusd. cap. Herculum, natura impotentem, simul filii segnitiae metuentem, inconsulte imperium repetivisse. Quod autem Constantino, imperatori dilectissimo officit eumque officii specie dolis compositis acerbè tentavit, jure interire debuit<sup>27</sup>). Sed ex his ipsis verbis „jure tandem interierat“, elucere mihi videtur, auctorem de Cäsaribus libri sortem imperatoris Illyrici doluisse.

Immane quantum discrepat hoc iudicium ab Epitomatoris verbis: „Aurelius Maximianus, cognomento Hercules, ferus natura, ardens libidine, consilii stolidus, ortu agresti Pannonioque“ . . .

De Galerio Maximiano Armentario Epitomator item bene existimat<sup>28</sup>) sed neglegendum non est discrimen inter relationem utriusque scriptoris de morte hujus imperatoris, quamvis leve sit. Breviator enim in universum et ob id ipsum clementius vel indulgentius scribit (40, 9) „pauloque post vulnere pestilenti consumptus est“, cum Epitomator aperte et propalam dicat „consumtis genitalibus defecit“<sup>29</sup>). Addit tamen statim illis verbis Breviator „cum agrum satis reipublicae commodantem, caesis immanibus silvis atque emissis in Danubium lacu Pelsone apud Pannonios fecisset. Cujus gratia provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit“. Quae res apud Epitomatorem desideratur. —

De imperatoris Constantii moribus Breviator non agit, nisi ubi de omnibus imperatoribus Illyricis iudicat<sup>30</sup>). —

Vix denique quemquam fugiet, Breviatorem, discrepantem ab Epitomatore, nimium esse laudibus Constantini. Qui imperator ei fere deus esse videtur: „At memoria mea Constantinum, quamquam ceteris promptum virtutibus, adusque astra votis omnium subvexere. Qui profecto, si munificentiae atque ambitioni modum hisque artibus statuisset, quis praecipue adulta ingenia gloriae studio progressa longius in contrarium labuntur, haud multum abesset deo“<sup>31</sup>). De filio Constantini jussu ejus necato nihil dicit nisi (41, 10), „incertum qua causa patris iudicio occidisset“<sup>32</sup>), neque narrat Faustam conjugem, Constantini jussu, Helena matre excitante, esse interfectam<sup>33</sup>).

Itemque desideramus, quod Epitomator 41, 14 memoriae prodit, imperatorem illum habitum regium gemmis et caput exornavisse perpetuo diademate<sup>34</sup>).

Nec tamen Epitomator Constantinum debita laude fraudat, (41, 14) sed favore non ita captus est ut Breviator, qui vitia ejus omni modo obducere studet (de Cäs. 40, 15. 41, 20—21).

Sed ne longus sim hac in quaestione, quam absolvere commentatione mea mihi in animo non est, id dico more scriptorum veterum Aurelium quoque fortasse singulas historiarum partes edidisse, quarum primam, vitas imperatorum ab Augusto usque ad Domitianum complexam, Epitomator solam in usum vocaverit. —

Alexander Enmann in libro, qui inscribitur „Eine verlorene Geschichte der römischen Kaiser etc.“<sup>35</sup>) quaestionem de Aurelio Victore uberiorè fontibusque Breviatoris et Epitomatoris volvit. Jam, ubi de

25) de Cäs. 39, 26.

26) 39, 46 Neque tamen cum haec agerent, extra vitia fuerunt. Quippe Hercules libidine tanta agebatur, ut ne obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret.

27) de Cäs. 40, 22.

28) Epit. 40, 15.

29) Epit. 40, 4.

30) de Cäs. 39, 26. 40, 12.

31) de Cäs. 40, 14. 40, 26. 41, 2—4.

32) Epit. 42, 11. Fausta conjuge, ut putant, suggerente, Crispum filium necari jubet.

33) Epit. 41, 12.

34) Enmann l. c. p. 451: Ueberhaupt hat Aurelius Victor (Breviator noster) in Bezug auf die dunkeln Punkte in Constantins Regierung sich Reserve auferlegt. Seine Beziehungen zu Constantius II oder auch nur die ungeheuchelte Bewunderung Constantins veranlasste ihn über diese und ähnliche Dinge flüchtig hinwegzugehen. So erwähnt er von dem Verwandtenmord nur die Hinrichtung des Crispus mit der vorsichtigen Bemerkung „incertum qua causa“ sqq.

35) cf. supra.

titulis disserui, memoravi, ab Opitzio hunc virum doctum dissentire, cum Aurelium pleniorem fuisse neget. Tantumque abest, ut ea, quae diligentia Opitzii admirabili necnon et permagna Wölfflinii doctrina eruta sunt hac in re, comprobet, ut contra eos vituperet, quod parum prudenter in quaestione ponenda et tractanda versati sint<sup>36</sup>).

Sed videamus, quam sententiam ipse protulerit. Comparatis igitur Eutropii et Breviatoris libellis in eam descendit opinionem ut historiam quandam imperatorum perditam, cujus auctorem ignoremus, fuisse censeat. Substituit igitur in locum Victoris plenioris, historiam imperatorum adhuc ignotam. Quo ex opere et Eutropii breviarium et librum de Cäsaribus esse derivatum, Epitomes vero capita XI priora ex hoc, posteriora ex illo libello cum aliis esse conflata. Subsistamus in exquirendo ejus judicio de Epitomatoris fontibus in prioribus capitibus XI usitatis, qua de re agitur l. c. p. 396—407.

Ut jam initio brevi complectar, quae Enmann illo loco statuere enixus est, e quattuor fontibus illa capita Epitomes fluxisse putat, <sup>1</sup>) e Suetonio ipso, <sup>2</sup>) ex Aurelio Victore (Breviatore nostro) <sup>3</sup>) ex excerptis quibusdam e Suetonii Cäsaribus factis „eine Blumenlese von Geschichtchen, von dicta et facta memorabilia, <sup>4</sup>) ex opere quodam ignoto. Quattuor igitur fontes in usum vocavisse dicitur auctor, quem omnes, qui opusculum ejus inspexerunt, parum operae ac laboris consumpsisse in vitis imperatorum conscribendis, rectissime judicent. Eoque magis hoc viri doctissimi judicium miror, cum confero ea, quae p. 347 de Eutropio dixit: „Wenn man sich nur einigermaßen in das Wesen einer derartigen Arbeit hineindenkt, so kann man die Vermutung nicht verwerfen, dass auch die kleinen Stücke, die bald bei Victor (Breviator), bald bei Eutrop den Zusammenhang jener Parallelstellen unterbrechen, ebenfalls Bestandteile der gemeinsamen Vorlage sind. Die entgegengesetzte Ansicht müsste ein künstliches Mosaik aus verschiedenen Quellen, peinlich und konsequent durchgeführt, voraussetzen. Wie viel weniger wahrscheinlich das für Autoren der späten Kaiserzeit ist, liegt auf der Hand<sup>37</sup>“. — At Epitomatorum quattuor fontibus esse usum Enmann vult! Quae sententia adeo non probabilis est, ut vix intellegatur, qua re commotus Enmann ad eam descenderit<sup>38</sup>).

Et ut alia hic omittam, hoc tantum quaeram, quid tandem Epitomatorum pellexerit, ut Breviatorum primum fontem sibi eligeret, quem sibi minime suffecturum esse sciret, quid, ut post vitam Domitiani seponeret? Sed ne eundem quidem se praestitit Epitomator, Enmanni sententia, in libro Breviatoris usurpando cum neque in Augusti, Galbae, Othonis, Vitellii vitis librum de Cäsaribus inspiceret, et nonnullis locis, ubi haud dubie eum ante oculos habuisse putatur, verbis recederet. Nam quid aliud volunt verba: § 16 (in vita Vespasiani) ist mit Benutzung folgender Phrasen Victors (Brev.) geschrieben: exsanguis (9, 1 exsanguem) ab Augusti morte (9, 11 alter ab Augusto) und saevitia tyrannorum (9, 9 extinctis saevitia tyrannorum plerisque). Im Leben des Titus ist § 3 hic ubi patriae curam susceperit honorificentia ac pecuniae contemptu nachgebildet Vict. 10, 1. postquam imperium adeptus est — clementiae ac muneribus, etc.<sup>39</sup>).

Recte quispiam quaesiverit, cur non ad verbum exscripserit, praesertim cum Enmann contendat, Breviatoris verba ab Epitomatore immutata reddi<sup>40</sup>). — Quid? quod Enmann de vita Augusti censet: primum Epitomatorum fontem uberiorem excerptere conatum esse, deinde, celeriter fatigatum, breviorum in usum vocasse, unde ad verbum exscriberet? Uberiorem illum fontem sine dubio Suetonium fuisse putat<sup>41</sup>). Quis

36) Enmann l. c. p. 397. Bei aller Achtung vor der Sorgfalt der Opitz'schen Untersuchung und vor den lehrreichen sprachlichen Bemerkungen Wölfflins, scheint mir weder das Problem auch nur einigermaßen scharf genug gefasst worden zu sein, noch scheint man sich von der Beschaffenheit der zu behandelnden Geschichtsberichte eine genügend klare Vorstellung gebildet zu haben! — p. 398. Man verzerrte das Bild des Autors (Breviator) vollständig, nur um die Befriedigung einer oberflächlichen Lösung der Quellenfrage zu haben! Man fühlt sich versucht, daran zu erinnern, dass Quellenuntersuchungen nicht wie mathematische Exempel anzufassen sind, wo durch Einführung eines x und y eine glatte Lösung zu erzielen ist. (Discant Opitz et Wölfflin ab Enmanno!) Ueber ihren textkritischen und sprachlichen Bestrebungen scheint die Philologie (l. c. Opitz et Wölfflin) es bisweilen zu vergessen, dass die historischen Werke des Altertums nicht bloße überlieferte Texte, sondern litterarische Erzeugnisse von Individuen mit Fleisch und Blut sind!! — — — Hier, wie Opitz p. 210 es thut, das Beispiel des Xiphilinos, eines mittelalterlichen Mönches heranzuziehen, der gedankenlos und roh genug war, um vier persönliche Bemerkungen aus Dio wörtlich abzuschreiben, das zeigt recht hübsch, an welchen Idealen sich die Vorstellungen über antike Historiker lange Zeit hindurch gebildet haben! —

37) cf. Enm. p. 359.

38) cf. Cohn l. c. p. 40. „Qui (Eutropius) quamquam cum Nostro (Epitom.) interdum conspirat, tamen tantum abest ut credibile sit, a Nostro eum ipsum inspectum esse, ut neminem esse putem, qui Epitomatorum primum Victorem (Breviat.) alterum Suetonium, tertium nescio quem (cui additamenta debeat) quartum denique sex locis Eutropium secutum esse contendat.“ Cohn Enmanni dissertationem non legit.

39) Enm. l. c. p. 403.

40) p. 403 die Entlehnungen aus Aurelius Victor (Brev.) sind leicht daran kenntlich, dass sie wie die aus Eutrop ganz wörtlich sind.

41) Enm. l. c. p. 405.

autem est, qui non admiretur, quod ne in illo quidem satis habuit Epitomator sed hinc illinc contulit, ut fontem uberrimum auget, immutaret, quod deinde sensim et pedetentim ad alterum breviorum vel potius brevissimum fontem se vertit, a quo tamen paulo post descendit?

Sed diutius in hac quaestione verser necesse erit, nam video et Ludovicum Jeep et Eduardum Wölfflin, viros doctissimos, cum Enmanno consentire, Suetonium ipsum ab Epitomatore esse usurpatum.

Optime autem Wölfflin l. c. p. 282 sqq. observavit, Breviatorem et Epitomatores in opusculis conscribendis diversum finem spectavisse, cum ille historiam imperatorum Romanorum, hic vitarum imperatorum descriptionem et imaginem posteris tradere sibi proponeret. Alter igitur alterum consilium secutus ex Aurelii libro sumpsit, quae idonea esse videbantur, et ita quidem, ut ille, quae ad vitam privatam imperatoris spectabant, velut originem, annos, quos quisque regnabat, qua vitae aetate mortuus est, virtutes, vitia, alia plerumque omitteret, hic, quae ad moderatorem tantum rerum publicarum pertinebant, neglexeret.

Huc accedit, quod Epitomator materiam certo consilio digessit, cum initio de nomine, origine, imperii tempore, in fine de aetate imperatoris enarrat. A Breviatoris quidem consilio Epitomatoris dispositio abhorruit, nec tamen mihi persuadere possum, in Aurelii quoque opere omnes eas res defuisse, ut Epitomator cogere tur aliunde haurire velut ex Suetonio, sententia Wölfflinii<sup>42)</sup>. Namque primum Breviator eas res minime repudiavit et si paucis locis profert, quot annos natus imperator obierit, talia fontis propria fuisse satis constat. cf. cap. 3. 8. 10. 11. 16. 41. Wölff. l. c. p. 289<sup>43)</sup>. Permulta deinde in libello Breviatoris nobis occurrunt, quae decent, Aurelium Epitomatori nova quaeque captanti satis materiae suppeditasse, ut non esset, cur ad Suetonium confugeret. Mentionem facio de iis, quae a Breviatore de moribus Caligulae, de conchis umbilicisque ejus jussu in ora maris Oceani lectis, quae de Claudio vitis conjugum ejus, de Neronis sceleribus narrantur, quae de Phoenice apud Aegyptum visa, de insula in Agaëi mari repente emersa nocte, qua lunae defectus acciderat, de prodigiis Caesarum Claudiae gentis finem denuntiantibus prolata sunt, alia — satis testantur, Aurelium plus praebuisse, quam ex opusculo Breviatoris eluceat. Quae nos admonent, ne omnia, quae cum Suetonio consentiunt, ex eo ipso assumpta esse putemus, cum vix quisquam contendat, Breviatorem quoque ipsis oculis Suetonium inspexisse. Enmann quidem dubitat l. c. p. 431 cum dicit: Ohne leugnen zu wollen, dass Victor (Breviator) direkt Sueton benutzt haben könne, glauben wir doch als seine Hauptquelle einen Autor bezeichnen zu müssen, der zu Sueton in ähnlichem Verhältnisse stand, wie die von uns statuierte zweite Quelle Eutrops. (i. e. Victor noster p. 414.) Sed de hac re infra videbimus.

Eoque magis deinde miror, quod Wölfflin censet, Aurelium scripsisse consilio Breviatoris imperatorem tantum et rerum publicarum rectorem spectantis, cum ipse sibi persuaserit Suetonio eum fonte primario saepissimeque ad verbum esse usum neque intellegatur, quibus rebus adductus Epitomator, de vitis imperatorum scripturus, ad fontem se verterit, quem sibi minime sufficere sciret.

Accedit aliud non minus grave. Veri dissimillimum est, Epitomatores ejus, ut jam supra dixi, non erat, consumere multum operae laborisque in materia diversis ex operibus et opusculis conferenda et in unum corpus confundenda, sed qui Aurelium plerumque ad verbum transscribat et opus ejus ita in angustum cogebat, ut magnos locos, nexu sententiarum neglecto, omittit quam sententiam paucis verbis reddere praeferret — omnia ex Suetonii vitis hausta data opera commutavisse, nam discrepat cum eo verbis, concinit re<sup>44)</sup>. Ego quidem mihi eo minus id persuadere possum, quod, ut postea videbimus, saepius ex

42) W. l. c. p. 294. Die Benutzung des Sueton durch den Epitomator steht fest. — Es sind vorwiegend Züge, welche den Charakter und das Privatleben der Kaiser beleuchten und bei Aurelius Victor nur stören würden.

43) Enmann de communi fonte Eutropii et Breviatoris l. c. p. 388 dicit: Unter der Hülle, die Eutrops und Victors Bearbeitungen um das Original (i. e. Enmanni „verlorene Kaisergeschichte“ noster Aurelius Victor) gebreitet haben, lässt sich noch deutlich ein Schema erkennen, nach welchem jede Biographie eingeleitet wurde. — Dieses Schema setzte sich folgendermassen zusammen: Name des Kaisers, Heimatsprovinz und -ort, Familienverhältnisse (Stand, Alter, Adel und Besitz der Familie) endlich eine knappe Würdigung. Bei Victor (Breviator) nach diesem Schema auszuschaun, ist etwas misslich, weil er meistens bemüht ist, die eine Kaiserbiographie mit der andern fortlaufend stilistisch zu verknüpfen. cf. p. 390. Miror, quod Enm. Epitomatores nostrum prorsus omisit, etsi Aurelii Victoris rationem in omnibus fere vitis servavit. Vix autem cuiquam persuaderebit, eum, Eutropium et Breviatorum primarium fontem secutum, hoc modo egisse.

44) Wölfflin l. c. p. 296: Es zeigt sich, dass die Aureliusexcerpte wenig verändert, die suetonischen Stellen von dem Epitomator nach Bedürfnis zugestutzt und freier überarbeitet sind. cf. p. 297 ad vitam Claud. § 8.

Breviatoris libro cognoscitur, in fonte primario ipso fuisse, quae ex Suetonio deprompta esse ab Epitomatore Wölfflin putat.

Sed non modo alius in Suetonio exscribendo alius in Aurelio usurpando fuisse Epitomator dicitur a Wölfflinio, verum etiam res Suetonianas et Aurelianas contaminavisse, duos fontes, quorum alter ex altero emanavit<sup>45)</sup>! Et Wölfflinium ipsum in angustias adduci si Suetonium ab Epitomatore in usum vocatum esse censet, inde cognoscimus quod in eadem vita Vespasiani, in qua contaminationem factam esse iudicat, ad memoriam bonam Epitomatoris refugere cogitur, qua recordatus jam in Neronis vita de amphitheatro aedificato esse a se dictum hoc loco, quo Breviator Suetonium quasi secutus amphitheatri constructi mentionem facit, eam rem omittit, quod tamen fieri non potuit, nisi errorem Epitomatoris statuimus, cum illo loco de amphitheatro ligneo, hoc de lapideo agatur.

Quod cum neque cuiquam probabile esse possit qui rationem Epitomatoris cognoverit et satis constet, Aurelium ipsum ex Suetonii opere permulta excerptisse, extra omnem dubitationem positum esse mihi videtur, Epitomatores ex uno Aurelio talia delibasse.

Néque in eo haerendum est, quod Wölfflin affert, cum dicit: „Schon Opitz hatte bemerkt, dass die mit Sueton zusammenfallenden Stellen weit mehr der Epitome als den Cäsares angehören etc.“ Qui aliter fieri potuit, cum Epitomator vitas imperatorum, non historiam Romanam scripturus ea imprimis eligere deberet, quae ad id, quod proposuerat, exsequendum erant idonea. Quae tamen plerumque Suetoniana i. e. ab Aurelio ex Suetonio hausta necesse fuisse, quid est facilius intellectu? Tres igitur causae nos jam instituentes quaestionem de Suetonio ipso ab Epitomatore in usum vocato dubios reddere debent, omnia, quae apud Epitomatores Suetoniana invenimus, Breviator non exhibet, illi ipsi adsignare, una quod scimus Aurelium Suetonio fonte primario esse usum, altera quod Epitomator et Breviator diversa consilia secuti in fonte exscribendo eodem modo agere non potuerunt —, tertia quod, quae apud Epitomatores Suetoniana leguntur plerumque commutata extant, quae res non Epitomatores sed Aurelium auctorem significat. —

Quae sententia aliquanto confirmatur, quod iis locis, qui ex Suetonio ipso deprompti esse videntur, permulta sunt, quae Aurelium sapiunt. Quae res tanti momenti est, ut Wölfflin, etiam iis locis, qui integra fere Suetonii verba exhibent, Aurelium fontem esse statuerit<sup>46)</sup>.

Firmissima sine dubio fundamenta, in quibus inquisitiones nostras ponamus, si colorem Aurelianum iis locis esse demonstramus, qui Suetoniani esse dicuntur. Sed cum vix omnibus locis vestigia Aurelii colligi possint ut inde fons cognoscatur, alia subsidia circumspicienda sunt, quibus eo, quo contendimus, deducamur. — Tale adjumentum in ratione, qua sententiae inter se excipiunt, diversa saepe apud Epitomatores et Suetonium, esse iudico.

Jam supra docuimus, Epitomatoris non esse, materiam, quam invenit, in novam formam redigere et connectere, ut omnia quasi una forma percussa sint, sed potius singula sine contextu ac continuatione rerum et verborum enumerare. Eo gravius autem est, quod iis locis, ubi Suetonium secutus esse videtur, dissentiens ab eo continuationem seriemque rerum ita observavit, ut alia ex alia nexa et omnes aptae colligataeque sint.

Revoco autem hoc loco memoriam eorum quae de Suetonio iudicavit Klasen, „Tacitus und Sueton“ cum dicit: „Der Begriff der Entwicklung, des Anwachsens und Verwachsens ist Sueton fremd; für ihn ist alles ein plattes Bild, auf dem die Momente nebeneinander theils grösser theils kleiner stehen, in dem keine Perspective, keine Ursachen für Klein und Gross, Hell und Dunkel existiert“. Quae cum ita sint ex collo-catione nexaque sententiarum persaepe cognoscemus, utrum Epitomator Suetonii opus in usum vocaverit necne.

Juvat quaedam afferre, quibus nos recte statuere appareat. In vita Vespasiani Epitomator virtutes hujus imperatoris laudibus effert, cum singulare praedicat, eum inimicitias esse oblitum, motus

45) Wölfflin l. c. p. 296 ad Epit. vit. Vesp. § 8 et p. 297 ad Ep. vit. Claudii § 3. Equidem consentiam cum Opitzio qui in actis soc. phil. Lips. II p. 216 dicit: „Verba autem: „quamquam ventri foede oboediens vecors juxta atque immemor pavidusque animi et ignavior esset“ — potius ex Epit. § „hic ventri vino libidini foede oboediens vecors et prope hebes, ignavus ac pavidus“ exscripta esse videntur (quod nihil aliud sibi vult nisi Aurelium ab utroque excerptum esse) quam eo nos ducere debent ut Epitomatores statuamus „vino libidini“ verba ex Suet. Claud. § 32 „prope hebes“ e Claudio § 2 addidisse etc.

46) cf. W. l. c. p. 301. Täuscht nicht alles, so hat der Epitomator mehr aus Aurelius Victor geschöpft als das magere Excerpt der Cäsares würde vermuten lassen.



amicorum patienter tulisse eorumque contumeliis jocularibus respondisse, quin etiam causidicorum obliqua dicta et philosophorum contumaciam contempsisse.

Haec omnia e fonte Suetonii manasse, vix quisquam negabit, qui Suetonii vitam Vespasiani § 13 et 14 inspexerit. Sed comparantibus nobis ea quae hic illic extant, occurrit, quod modo contendimus, concinere quidem Epitomatore cum Suetonio re, sed discrepare verbis, ordine rerum, sententiarum nexu.

Epit. vit. Vesp. 2—4 Hujus inter cetera bona illud singulare fuit, inimicitias oblivisci, adeo ut Vitellii, hostis sui, filiam locupletissime dotatam splendidissimo conjungeret viro. Ferebat patienter amicorum motus, contumeliis eorum, ut erat facetissimus, jocularibus respondens. Namque Licinium Mucianum<sup>47)</sup>, quo adjutore ad imperium pervenerat, fiducia meritorum insolentem, lepide flectebat, adhibito aliquo utriusque familiari, id unum dicens: Nosti me virum esse. Sed quid mirum in amicis, quum etiam causidicorum obliqua dicta et philosophorum contumaciam contemneret?

Suet. vit. Vesp. 13 et 14. Amicorum libertatem, causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissime tulit. Licinium Mucianum notae impudicitiae sed meritorum fiducia minus sui reverentem, numquam nisi clam et hactenus retaxare sustinuit, ut apud communem aliquem amicum querens adderet clausulam: Ego tamen vir sum. Salvium Liberalem in defensione divitis rei ausum dicere: quid ad Cäsarem, si Hipparchus sestertium milies habet? et ipse laudavit. Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi post damnationem ac neque assurgere neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit canem appellare. — Offensarum inimicitarumque minime memor executorve, Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit ditavitque etiam et instruxit. Trepidum eum interdicta aula sub Nerone . . . Nam ut suspicione aliqua vel metu ad perniciem cujusquam compelleretur tantum a fuit, ut momentibus amicis cavendum esse Mettium Pompuianum, quod volgo crederetur genesim habere imperatoriam, insuper consulem fecerit, spondens quandoque beneficii memorem futurum<sup>48)</sup>.

De verbis pauca addo, oculis iudicium committere licet. At quomodo verba „hujus inter cetera bona illud singulare fuit“ Suetonio auctore ab Epitomatore scribi potuerint, non video. Suetonius Vespasianum amicorum „libertatem“ lenissime tulisse narrat, Epitomator amicorum „motus“ dicit et de lepore facietisque refert, quibus imperator contumeliis eorum responderit; nihil hujus rei apud Suetonium hoc loco. Verba vel sententiam „quo adjutore ad imperium pervenerat“ quae legimus post „Namque Licinium Mucianum“ apud Suetonium desideramus. „Namque“ illud, quo Epitomator hunc paragraphum annectit, ad Aurelium spectat. Is enim, ut e libro de Cäsaribus intellegitur, hanc conjunctionem plerumque in initio posuit. cf. de Cäsar. I, 2. III, 2. IV, 5. 7. V, 4. 9. VIII, 3. IX, 2. 7. XIII, 1. XVI, 1. 5. XIX, 5. XXI, 3. XXV, 1. XXIX, 5. XXXIII, 7. 17. XXXVI, 2. XXXVII, 3. XXXIX, 4. 11. 17. 48. XL, 21. XLI, 2. 9. 26; semel secundo loco XLII, 14: is namque. Particula „nam“ initio sententiae non est usus nisi ante „quum“ cf. XX, 11 Nam quum quidam hostium . . . XX, 25 Nam quum pedibus aeger . . . XXIV, 4 Nam quum tantae severitatis . . .<sup>48)</sup> XXXII, 5 Nam quum ejus pater . . . XXXIII, 28 Nam quum profluvio sanguinis . . . XXXIV, 3 Nam quum pellere Gothos cuperet . . . XXXVIII, 4 Nam quum oracula . . . XXXIX, 32 Nam quum omnis eadem functione . . . exceptis duobus locis XXXI, 3 Nam Aemilianus quoque tres menses . . . et XXXV, 4 Nam Tetricus, quum Faustini praesidis dolo . . ., ubi propter „quoque“ et „quum“, quae tertio loco leguntur, fortasse „nam“ pro „namque“ est scriptum<sup>49)</sup>. In media sententia legitur „nam“, plerumque ante verba ad rem quandam explicandam inserta. cf. IV, 2. V, 1. L. Domitius (nam id certe nomen Neroni, patre Domitio, erat) imperator factus est. XVII, 9. Ibi per ministrum unguendi (nam forte is quoque e consilio erat) . . . XXVI, 4

47) de Licinii moribus confer Tac. Hist. I, 10,

48) Adscripsi hunc locum etsi in editionibus adhuc legitur „dum“; sed Opitz jam ostendit e codice restituendum esse „quum“.

49) XXXVII, 3 „nam utriusque“.

haruspices atque ipse maxime (nam hujus scientiae usu immodice prudens erat) ... IV, 2. XL, 2. Particula „enim“ apud Breviatorem non invenitur nisi in vita Nervae „Quidenim“ et conjunctum cum „et“ XXVIII, 9 „etenim quamvis“.

Ab hoc Aurelii usu discessit Epitomator. In capp. I—XI quater extat „nam“ I, 25. 27. 30. 31. quater „namque“ V, 5. IX, 3. 5. X, 4. Cap. V, 5, ubi procul dubio ex Aurelii opere haustum est, „namque“ secundo loco legitur „eo namque dedecore“, quam verborum collocationem ad Aurelium spectare, e libro de Cäs. XLII, 14. elucet<sup>50</sup>). Quod igitur Breviator cap. V, 4 scripsit „Namque eo dedecore reliquum vitae egit“ pro „Eo namque...“ nobis argumento sit, ne eum quidem verba historiarum Aurelii immutata reddidisse<sup>51</sup>). In capp. XII—XLVIII Epitomator plerumque „nam“ ponit XVII, 2. XVIII, 4. XXXII, 6. XXXV, 2. XL, 10. XLVII, 6. XLVIII, 17, duobus locis „namque“ XIV, 5. XLII, 21. „Enim“ apud Epitomatorem in capp. I—XI ter legitur I, 24. II, 7. XI, 15 (cf. de Cäs. XII, 1); in capitibus, quae sequuntur, non legitur nisi cum alia particula colligatum cf. XVI, 2 etenim si, XLI, 5 Verum enimvero, XLVIII, 7 hic etenim, excepto tamen XIII, 8 Fuit enim patiens laboris . . ., quocum conferendum I, 24 Fuit enim paululum impatiens . . .<sup>52</sup>).

Sed redeat quastio illuc, unde deflexit. „Insolens“ verbum in eadem vita a Breviatore scripta IX, 12 extat; „flectere“ legitur quoque apud Epitomatorem § 5, qui locus Aurelianus est. Nunquam vero Epitomator dixisset „Mucianum, fiducia meritorum insolentem — lepide flectebat“, si hoc loco Suetonii vestigia pressisset, qui de facetiis Vespasiani hic nihil profert, et in cujus verba „Mucianum — nunquam nisi clam et hactenus retaxare sustinuit, ut apud communem aliquem amicum querens adderet clausulam...“ illud Epitomatoris „lepide flectere“ non quadrat. Apud Suetonium exclamat Vespasianus: „Ego tamen vir sum“, apud Epitomatorem: „Nosti me virum esse“, illic legitur: „Imperatorem ut amicorum libertatem ita causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissime tulisse“, hic pro „causidicorum figuras“ est dictum „causidicorum obliqua dicta“<sup>53</sup>) neque „tulit“ Vespasianus haec causidicorum obliqua dicta et philosophorum contumaciam sed „contempsit“, quo verbo rectius eum esse usum pro Suetonii „lenissime ferre“ concedet, quicumque exemplum a Suetonio ad hanc Vespasiani virtutem illustrandam allatum legerit<sup>54</sup>).

Ut autem Epitomator verbis hoc loco a Suetonio dissidet, ita alium servavit ordinem rerum. Etenim Suetonius primum de amicorum libertate, causidicorum figuris, philosophorum contumacia lenissime a Vespasiano latis dicit, exemplisque a Licinio Muciano, Salvio Liberali, Demetrio Cynico sumptis confirmat quae contendit, deinde Vespasianum offensarum inimicitiarumque minime memorem executoremve fuisse exponit et probat — Epitomator ordine permutato de his imperatoris virtutibus narrat. Quod si mirum esse debet, in hoc etiam magis offendo. Suetonius, postquam de clementia et indulgentia Vespasiani erga hostes disseruit, aptissime annexuit, nulla suspicione vel metu ad perniciem cujusquam eum compelli potuisse, ut etiam Mettium Pompasianum, monentibus amicis eum esse cavendum, quod volgo crederetur genesim habere imperatoriam, insuper consulem faceret, spondens quandoque beneficii eum memorem futurum esse; Epitomator tamen de hac re disserit, postquam terras a Vespasiano in provincias redactas enumeravit. cf. vit. Vespas. § 13. „Syria, cui Palaestina nomen est, Ciliciaque ac Thracia... provinciis accessere. Judaei quoque additi sunt. Hic monentibus amicis, ut caveret a Mettione Pomposiano, de quo sermo percrebuerat regnaturum, consulem fecit, alludens tali cavillo: Quandoque memor erit tanti beneficii“. Qua re commotus Epitomator si Suetonium ipsum hoc loco ante oculos habuit, sententiarum nexu prorsus omisso nulla rerum continuatione, ita scribere potuerit, vix intellegitur. Attamen si quis adhuc est, qui nobiscum consentire dubitet, desinet ambigere, si cognoverit, quomodo Epitomator discrepans cum Suetonio sententias inter se conjunxerit.

50) Tac. Ann. I, 5 acerbis namque custodiis. Tac. dial. 19. vidit namque. cf. Draeger, Ueber Syntax und Stil des Tacitus § 132.

51) Enmann l. c. p. 387. Auch bestätigt sich wieder das Urteil, dass die scriptores (historiae Augustae), demnächst Eutrop ihre Vorlage am genauesten wiedergegeben, Victor (Breviator) aber mit Inhalt und Wortlaut derselben freier und subjectiver umging. cf. p. 348. cf. p. 14 hujus commentat.

52) Addere mihi liceat, Epitomatorem in moribus describendis plerumque verbum „fuit“ in initio sententiae posuisse, raro secundo vel tertio loco. cf. praeter I, 22 et 24 et XIII, 8. XX, 5. XXI, 5. XXXI, 3. XXXV, 9. XL, 10. XL, 15. XL, 20. XLI, 13. XLI, 24. XLI, 25. XLII, 10. XLIII, 5. XLIV, 3. XLV, 5. XLVI, 3. XLVII, 4. XLVIII, 5. XLVIII, 8. cf. Liv. lib. VII, 1. Fuit enim vir vere unicus (Camillus) IX, 16 et fuit vir haud dubie dignus XXX, 26. vir certe fuit dignus . . .

53) cf. Tac. Ann. 14, 11.

54) Suet. vit. Vesp. 13.

Epit. Vit. Vesp. § 2. singulare fuit, inimicitias oblivisci, a deo ut Vitellii, hostis sui, filiam . . . conjungeret viro.

Epit. l. c. 3. Ferebat patienter amicorum motus . . . Namque Licinium Mucianum . . .

Epit. l. c. 3 et 4. Ferebat patienter amicorum motus . . . Sed quid mirum in amicis, quum etiam causidicorum obliqua dicta et philosophorum contumaciam contemneret?

Huc accedit quod gradatio, quae loco postremo citato invenitur, ad Aurelium spectat. E libro de Cäsaribus satis apparet nos recte judicare. cf. de Cäs. vit. Calig. § 8: „Sed repente caesis primum vario facinore innocentium paucioribus tamquam belluae hansto sanguine ingenium exeruit“ . . . . . de Cäs. vit. Tib. Claud. § 4—10, ubi de flagitiis Messalinae agitur; vit. L. Domitii Neronis § 9—13, quibus scelera ejus narrantur, vit. Vitellii § 1 „quae (scil. potestas) progressu funestior talibus initiis foret, si Vespasianus . . .“ — „Der Begriff der Entwicklung“, ut ait Klasen l. c. p. 10, „des Anwachsens und Verwachsens ist aber dem Sueton fremd, für ihn ist alles ein plattes Bild, auf dem die Momente neben einander stehen“<sup>55</sup>).

Aliud exemplum quo cognoscitur, Epitomatorum dissidentem a Suetonio sententias conjungere est hoc. In vita Titi § 7 post verba „suspecta rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari praemiarique solitum“ pergit Suetonius „denique propalam alium Neronem et opinabantur et praedicabant“, hic in eadem vita § 6 dicit: „Jurgia autem sub patre venumdata, rapinarum cupidum, unde Neronem cuncti opinantes vocantesque . . .“ Narrat igitur hic Epitomator, ut res ex rebus quasi nascentur, Suetonio tantum continuante.

Postquam hoc modo invenimus, qua ratione et via procedere quaestionem necesse sit, ne in lubrico fundamento ponamus inquisitiones, restat, priusquam ad vitas singulas perscrutandas nos vertamus, ut explicemus, quomodo factum sit ut Breviator et Epitomator, etsi ex eodem fonte in XI prioribus capp. hauserunt, de imperatoribus potissimum existimantes inter se dissentirent<sup>56</sup>). Atque primam causam in eo esse positam luce est clarius, quod scriptores, ut supra ostendimus, non idem consilium in vitis describendis secuti sunt<sup>57</sup>). Rectissime enim dicit Klasen in opusculo, quod jam saepius nominavi, „Tacitus und Sueton“ p. 28 et 29, ubi de vita moribusque imperatoris Claudii a Suetonio et Tacito expositis agitur: Es genügt nicht den einen Charakter des Kaisers genau zu schildern, alle umgebenden Charaktere müssen klar abgebildet werden, da in ihnen oft mehr als in der Hauptperson die Motive für die Begebnisse zu suchen sind. Und nur aus diesem Wirrwarr von Intrigue lernt man dann wieder das Medium zu demselben, Claudius selbst kennen. So tritt er uns denn bei Tacitus als ein stumpfer, nur selten mit lichten Augenblicken begabter, von seiner Umgebung ganz beherrschter, abhängiger, im Uebrigen aber wohlmeinender Mann entgegen. — Der Claudius des Sueton ist ein anderer als der des Tacitus, er erscheint dort viel lebhafter, närrischer, selbständiger und thätiger, sowohl im Guten als im Bösen. Und wenn auch Sueton auf seine Unselbständigkeit hinweist, so tritt diese doch durchaus nicht wie bei Tacitus hervor. — Dies ist auffallend aber durch die Art und Weise der Darstellung Suetons bedingt. — Dieser sucht ja von allem Umgebenden zu abstrahieren und nur die eine Person ins Auge zu fassen und nach den Eigenschaften zu scieren. — Alles Thun des Claudius erscheint bei Tacitus als das Werk anderer, wenn aber von diesen ganz abgesehen werden soll, wie bei Sueton, so fällt das Geschehene auf den Claudius zurück, und er wird dann der Bösewicht statt seiner Umgebung etc.“

Ita quoque factum est, ut hic imperator apud Breviatorem melior nobis videatur quam apud Epitomatorum<sup>58</sup>). Item utriusque scriptoris iudicium de Tiberio et Galba discrepat, quibus Epitomator

55) cf. Enmann l. c. p. 424 denn dieser (Sueton) hat sich, voll Strebens, seine Notizen nach Categorien aufzuhäufen, gar nicht bemüht, die psychologische Wandlung im Charakter des Caligula auch nur andeutend zu erklären.

cf. Roth, ed. Suet. praef. p. 13.

56) cf. supra p. . . .

57) Idem cognovit Enmannus de Eutropio et Breviatore, qui ex eodem fonte hauserunt. cf. l. c. p. 341. p. 451.

58) Tac. Ann. 12, 3. Sed nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium, non odium erat nisi indita et jussa.

Eutrop. VII, 13 hic medie imperavit multa gerens tranquille et moderate.

Suet. l. c. 14. Offensarum inimicitiarumque minime memor executorve, Vitellii, hostis sui, filiam . . . maritalavit.

Suet. l. c. 13. Amicorum libertatem . . . lenissime tulit. Licinium Mucianum . . .

Suet. l. c. 14. Amicorum libertatem, causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissime tulit.

tamen magis favet, quam Breviator. Eoque insignius est hoc discrimen, quod Epitomatoris iudicium adaptatum est Taciti, qui, ut Weidmannus „die Quellen der ersten sechs Bücher von Tacitus Annalen“ ostendit, moderatius de Tiberio existimat quam Suetonius, indolemque imperatoriam ejus laudat et comprobat et permulta Suetonii vel ejus fontis mendacia repudiat; Breviator vero magis cum Suetonio consentit. Simulque satis luculenter ex Breviatoris vita Tiberii apparet, auctorem libri de Cäsaribus, cum persaepe e consilio, quod sequebatur, cogeret multa in historiis uberius narrata omittere imprimisque ea, quae ad mores imperatoris vitamque privatam pertinebant, non rarius, quam si solam vitam naturamque imperatoris spectavisset, invitum a veritate deflectere necesse fuisse. Ut igitur de Claudio Tiberio Nerone iniquius judicaret, hoc modo mihi factum esse videatur<sup>59</sup>). Idem de Galba contenderim; nam ab Aurelio in historiis de hujus imperatoris virtutibus dictum esse, quibus florebat autequam imperium adipisceretur e verbis concludi licet, quae apud Breviatorem leguntur „Quibus rebus instabilior, dum gravius offendunt, quos mollius consulturos spes erat — cf. Tac. Ann. I, 40 mollibus consultis — et quae apud Epitomatorem extant „hic ante dominationem sumptam multas provincias egregie administravit“, quae verba ex Aurelii opere deprompta esse Wölfflin quoque censet; cf. Tac. Hist. I, 1—49, imprimis c. 49 „major privato visus dum privatus fuit et omnium consensu capax imperii nisi imperasset“.

Quae tamen omnia Breviator non commemorat nisi ut rhetorum consuetudine vitia imperatoris eo eminentiora reddat<sup>60</sup>). Permulta deinde scelera non Galbae ipsi sed amicis ejus esse tribuenda omittit, ut verba, quae apud eum leguntur: „ubi Romam ingressus est quasi luxuriae aut etiam crudelitati auxilio ventitasset, rapere, trahere, vexare, ac foedum in modum vastare cuncta et polluere“ non scriptoris rerum sed Galbae inimicissimi Othonis esse videantur. cf. Tac. Hist. I, 37.

Sed non tantum consilio, quod uterque scriptor sequebatur, fieri necesse fuit, ut eorum iudicium de imperatoribus inter se differret, accedit, quod aliud Breviatoris genus scribendi erat, aliud Epitomatoris. Vix enim quemquam fugiet, Breviatorem non modo propensum fuisse ad vitia hominum verbis castiganda, virtutes laudibus efferendas, verum etiam magnam operam in causis psychologicis, ut ita dicam, indagandis et investigandis consumpsisse, ut inde intellexeretur, qui fieri posset, ut imperator initio bonus, sensim paulatimque deterior, malus, pejor, crudelior, perniciosior fieret, postremo sibi ipse interitum pararet; confer vitas Caligulae, Claudii, Neronis, Domitiani<sup>61</sup>). Tantumque valebat illud studium ut non dubitaret, commutare in suum consilium, quae in fonte inveniebat. Exempli causa liceat comparare, quae de quinquennio Neronis apud auctores nostros legimus.

Brev. V, 2. Qui quum longe adolescens dominatum parem annis vitrico gessisset<sup>62</sup>), quinquennium tamen tantus fuit, augenda urbe maxime, uti merito Trajanus saepius testaretur, procul differre cunctos principes Neronis quinquennio.

Epit. V, 2. Iste quinquennio tolerabilis visus. Unde quidam prodidere, Trajanum solitum dicere, procul distare cunctos principes Neronis quinquennio.

Aurelii iudicium de Neronis quinquennio ab Epitomatore immutatum nobis esse traditum videtur „quinquennio tolerabilis visus“<sup>63</sup>). Cui iudicio e consuetudine sua, quod Trajanus testibus aliis scriptoribus

59) Cf. quod dicit, pleraque juris Romani eo regnante esse direpta nihilque praeter Cappadocas, idque inter exordia in provinciam subactum, compressaque Gaetulorum latrocinia. Ut hoc loco res a Tiberio egregie gestas quasi carptim et neglegenter profert — de Maroboduo, Suerorum rege a Tiberio callide circumvento tacet cf. Ep. II, 8 — ita eum et armorum et litterarum peritissimum fuisse „satisque fortunatum ante sumptum imperium sub Augusto, ut non immerito rei publicae dominatus ei committeretur“ — cf. Ep. II, 3. Tac. Ann. VI, 51. — omittit, etsi dubium non est, quin Aurelius de his rebus scripserit. cf. de Cäs. II, 1. bonis initiis idem perniciosus. Klase, Tacitus und Sueton p. 124 sqq. L. Freytag, Tiberius u. Tacitus p. 314. Enmann l. c. p. 417—419. — es wird Rücksicht genommen auf ihr Leben vor der Regierung . . . jene Anordnung erinnert an das Anfangsschema . . . es war das Schema der von beiden (Eutrop u. Breviat.) bearbeiteten verlorenen Kaisergeschichte. Bei Victor sind die ursprünglichen Anfangsstücke durch freie stillist. Behandlung meistens zerstört; sed cf. Vict. 2, 1. 3, 1. 6, 1. 8, 4. 7, 1. 1, 2. 5, 1. 11, 1.

60) cf. Enmann l. c. p. 356. Während Eutrops Darstellung ungewöhnlich ausführlich wird, überlässt sich Victor (l. e. Breviator noster) mit derartigem Behagen seinen Reflexionen, dass oft das Thatsächliche arg in den Hintergrund gedrängt wird. p. 413. Leider gestattet die Nachlässigkeit, mit der Victor das Kapitel der auswärtigen Beziehungen behandelt nicht, jene Spur weiter zu verfolgen. Ihn interessieren andere Dinge, charakteristische Anekdoten, die innere Wirksamkeit der Kaiser ungleich mehr.

61) de Tacito vid. Teuffelii hist. lit. rom. ed. alteram 1872 p. 741 „Berühmt ist namentlich seine (Taciti) Nachweisung, wie Tiberius aus einem ursprünglich guten Regenten zu einem Scheusal geworden ist.

62) Tac. dial. 17.

63) de vocabulo „tolerabilis“ cf. de Cäsar. 29, 9. 36, 2. 39, 32.

existimabat, addidit. Breviator vero a fonte recedens iudicium Trajani suum reddidit, cum dicit „quinquennium tamen tantus fuit, uti merito Trajanus saepius testaretur . . .<sup>64)</sup>“. Manifestum evadit e verbis, quae sequuntur § 3 „neque aevum impedimento virtuti esse; eam facile mutari, corrupto per licentiam ingenio; omissamque adulescentiae quasi legem perniciosius repeti“, qua causa commotus hoc modo commutaverit Breviator. Etenim cum sententiam illam exemplo Neronis illustrare studeret, non satis erat, Neronem initio „tolerabilem“ fuisse, omnes potius principes virtute eum superare necesse erat. Plurimum deinde enititur contenditque ut ostendat, quomodo Nero sensim omnem humanitatem exuerit, res a Nerone gestas tantum respiciens, quantum opus erat, ut recte se disputasse, intellegeretur.

Ab hoc Breviatoris scribendi consilio et ratione Epitomator adeo discessit, ut, cum res gestas tantum proferre studeret, plerumque contemplationes illas, nexus sententiarum immemor, omitteret. In Neronis quidem vita, ut in ea persistamus, omnibus, quae Breviator de adulescentia et virtute dicit, neglectis, nihilominus pergit: „Eo namque<sup>65)</sup> dedecore reliquum vitae egit“, etsi modo de amphitheatro et lavacris constructis, Ponto itemque Cottii Alpibus in jus proviciae redactis dixerat. —

Breviator deinde exponit, impudicitiam Neronis in dies fere crevisse primumque lapsum affert, psallere eum per coetus, Graecorum invento, in certamen coronae coepisse; Epitomator hunc primum vitii gradum praeterit, attamen Aurelii transitionem retinet „eo progressus est, ut . . .“ In iis quoque, quae sequuntur, Breviator semper praedicat, Neronem paulatim labentem vitiiis flagitiisque postremo esse demersum et probabile reddit<sup>66)</sup>, matrem ab eo esse contaminatam: „Id ego, quamquam scriptoribus diversa firmanibus, verum puto. Namque ubi mentem invaserint vitia, nequaquam verecundiae externis satiata, inhumanus grassatur peccandi consuetudo, nova et eo dulciora affectans, ad extremum in suos agens. Quod his proditum magis, dum quasi quodam progressu . . .“ Apud Epitomatorem hunc progressum, haec argumenta e natura hominum sumpta, frustra quaerimus, facta sola legimus. —

Aliud exemplum, quo apparet Breviatorem eo modo, quo diximus, fonte suo esse usum, in Claudii vita extat<sup>67)</sup>. Ibi de potentia quidem libertorum, quomodo in dies creverit, eorumque flagitiis loquitur, sed nomina eorum, praemia ornamentaque a Claudio in eos congesta desideramus. Quodsi Epitomator singula persequitur, non mirum facile quem, considerantem hoc discrimen, in errorem prolabi, ut eum ex pluribus et diversis fontibus hausisse putet. In hunc errorem Wölfflin incidisse mihi videatur, cum contendit, in Epit. vita Neronis V, 4 verba: „Hic in urbe amphitheatrum et lavacra construxit“ ab Epitomatore ad Aurelii verba, quae apud Breviatorem extent, „augenda urbe“ explicanda esse addita e Suetonio<sup>68)</sup>.

Neque tamen Breviator in omnibus vitis semper uno atque eodem modo egit, sed saepius a more suo discessit. Miramur, quod in vita Othonis nihil dicit de morte ejus honestissima, minime congruente vitae, cum dubium non sit, quin Aurelius Suetonium (c. 2. et 12) et Tacitum (Hist. I, 13. 71. II, 50) secutus de ea scripserit<sup>69)</sup>. Neque Titum mores, postquam curam reipublicae suscepit, commutavisse narrat, quamquam de eis quoque Aurelium tradidisse verisimillimum est. (Tac. Hist. II, 2. Epit. X, 5—7. Suet. vit. Tit. c. 6 et 7). —

Haec pauca monenda erant, antequam singulis vitis imprimis Augusti vita demonstrarem erravisse Wölfflinium, Jeepium, Enmannum de Suetonio ipso ab Epitomatore in usum vocato.

64) de Cäs. vit. Septimii Severi § 14, ubi scribit Breviator: „Felix ac prudens, armis praecipue, adeoque ut nullo congressu nisi victor discesserit“ omisso „prope“ ante „nullo congressu“, quod vocabulum servavit Spartianus 17, 8, cum dicit: „prope a nullo congressu digressus nisi victor“.

65) de „namque“ cf. p. 9.

66) de Cäs. V, 7.

67) Cohn I. c. p. 27 et 28.

68) Enmann I. c. p. 417. Selbständig von Sueton ist (apud Entropium) noch eine bestimmte Kategorie von Nachrichten, die Aufzählungen der opera . . . Vielleicht hat man wieder an die Quelle Victors (i. e. Breviatoris) zu denken, die bei den auswärtigen Ereignissen zur Ergänzung Suetons diene. cf. de Cäs. 11, 4, multa que opera inchoata per patrem vel fratris studio atque imprimis Capitolium absolvit. Es lässt sich vermuten, dass die Gebäude in seiner Quelle (apud Aurelium Victorem nostrum) einzeln aufgeführt waren. id. p. 440.

69) Epit. VII, 2. vita omni turpis maxime adulescentia, — adeo amabilis militibus propriis (cf. Tac. Hist. II, 46) ut plerique, corpore ejus viso, suis manibus interierint.

## Vita Augusti.

Initio vitae uterque scriptor, ex Aurelii historiis pendens postquam commemoravit anno urbis conditae septingentesimo secundo morem Romae esse repetitum uni prorsus parendi<sup>70)</sup>, de ortu, adoptione, cognomento imperatoris loquitur. Confer Opitium de „majoris avunculi“ et „magni avunculi“ qui et hic et aliis locis (vit. Tib.) docuit Epitomatorem fonte accuratius esse usum quam Breviatorem<sup>71)</sup>. Addiderim et hunc et illum pro Suetoniano illo „testamento majoris avunculi“ scripsisse „adoptione“ et Octaviano cognomen Augusto esse datum „ob victoriam“ non „Munacii Planci sententia“ cf. Suet. vit. Aug. § 7.

Novi igitur rerum status mentione facta, explicat Breviator, quomodo Augustus dominatum suum confirmaverit, cum dicit § 2 „illectis per dona militibus atque annonae curandae specie vulgo ceteros haud difficulter subegit“. Quae verba Aureliana Tacitum fontem conspicuum reddere, jam Wölfflin ostendit<sup>72)</sup>. Idem tamen de verbis quoque, quae apud Epitomatorem § 3 sequuntur: „Iste in imperio positus tribuniciam potestatem per se exercuit“, contenderim. Commemorat enim Tacitus eodem loco, quo de donis militibus datis agitur, Augustum ad tuendam plebem tribunicio jure contentum fuisse. Eoque minus Aurelius potestatem tribuniciam hic omisisse putandus est, cum quantam vim illi magistratui tribueret Augustus, non ignoraret<sup>73)</sup>. Neque sententiae nostrae officit, quod Breviator potestatis tribuniciae in fine vitae mentionem facit, ubi de moribus honoribusque imperatori tributis loquitur, cum apud Tacitum, ad vitam Augusti resque ab eo gestas respicientem item hujus magistratus per septem et triginta annos continuati, iterum mentio fiat. Quod Epitomator hanc sententiam pronomine „iste“ iis, quae modo dixit de Augusti origine, adoptione, cognomine, adjungit, statuendum est, eum in prioribus capitibus XI semper, postquam de origine et annis, quos quisque regnabat, exposuit, hoc pronomine usum perrexisse, nisi in vitis Othonis, Vespasiani, Domitiani. Sed hac in re eo minus est haerendum, quod facile intellegitur, inter capita illa de Othone et Vespasiano ceteraque discrimen quoddam intercedere. In vita enim Othonis iis ipsis, quae de ortu et imperii tempore sunt dicta iudicium de moribus imperatoris adjectum est, priusquam res gestae narrarentur, et in vita Vespasiani deest, unde sit ortus hic imperator<sup>74)</sup>. — Huc accedit, quod Epitomator casibus obliquis pronominis „iste“ non usus, casus pronominis „hic“ scribit. Cum autem in uno capite XI, 2 „ille“ pro „iste“ inveniatur non dubitaverim in „iste“ commutare. Pronomen „ille“ postea semel tantum legitur in Accusativo: 43, 8 „ita illum cupido gloriae flagrantior pervicerat“. — Post caput undecimum Epitomator hunc usum pronominis „iste“ plerumque fugit nisi his locis: c. XII. XIII. — retinuit igitur adhuc morem, quem in vit. I—XI sicutus est — XV. XVI. XVIII. XXXV. XXXVII, quibuscum est comparandum c. XLII, 13. His igitur locis exceptis post caput XI vel XVIII saepissime pronomen „hic“ pro „iste“ scripsit. cf. XIV. XVII. XX. XXI. XXIII. (Hujus matris etc.) XXIV. XXXIX. XXXII. XXXIV. (Hunc plerique putant) XXXVI. (Huic successit Florianus) XLI. XLV (Hujus pater) XLVI. XLVII. XLVIII (Huic ferunt nomen). In capite XXXVIII, 2 fortasse cum hist. misc. p. 234, 24 „is“ pro „iste“ est legendum. Pronomen „is“ praeterea legitur XXV. XXXIX. XLIV (Ejus patri).

Quodsi quaerimus, num Epitomator certo consilio in narratione ipsa modo „iste“ modo „hic“ usus sit, hoc mea quidem sententia constat, in primis XI capp. pronomina illa eum plerumque mutavisse, cum magnam partem eorum quae in fonte erant, omittebat, non interdum, ut censet Wölfflin l. c. p. 299<sup>75)</sup>. Errat quoque vir doctissimus l. c. p. 292, si putat, pronomen „iste“ quod apud Epitomatorem ad imperatorem, cujus vitam describit, respicit, apud Breviatorem non inveniri. cf. de Caes. XIX, 13. XXXIX, 6.

70) Hanc sententiam ad Tacitum spectare Wölfflin l. c. p. 307 ostendit. — Conferendum de Cäs. 41, 9 „respublica unius arbitrio geri coepit“ 42, 2 „relata ad unum cura reipublicae.“

71) Cohn p. 29 ad Cäs. 10, 3.

72) Tac. Ann. I, 2: „Posito triumviri nomine consulens se ferens et ad tuendam plebem tribunicio jure contentum, ubi militum donis, populorum annona, cunctos dulcedine otii pellexit.“

73) Tac. Ann. III, 56. Tiberius potestatem tribuniciam Druso petebat; id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret.

74) Ep. 7, 1, 9, 1. In libro de Cäs. jam in Vitellii vita de origine Vespasiani est dictum. Epit. 9, 5: Iste exsanguem diu . . .

75) Cohn l. c. p. 28 Wölfflinium secutus, dicit: Quid? Quod Epitomator quasi data opera, ne posterii fallerentur, ubicumque fonte altero neglecto alterum usurpavit, vicissim pronomina vel „hic“ vel „iste“ periodis praeposuit, ita ut quae intra haec duo pronomina legerentur, vel ad Victorem vel ad Suetonium pertinerent.

Sed redeamus ad vitam Augusti. Auctores nostros in iis, quae sequuntur, materiam pari modo disposuisse, ergo fonte communi esse usos, quamvis in singulis rebus inter se dissentiant, nemo negabit<sup>76)</sup>. Ut praetermittam Breviatorem statim initio § 3 de regni tempore et genere locoque mortis narrare, Epitomator e consilio ea sub finem capituli afferre, uterque primum refert, qualis Augustus in bellis cum aliis nationibus gestis finibusque imperii propagandis fuerit, deinde, ut Suetonii verbis utar, de interiore ac familiari vita, quibusque moribus atque fortuna domi et inter suos egerit, loquitur. Hac in dispositione Aurelium Suetonii vestigia pressisse luce est clarius<sup>77)</sup>.

Breviator deinde nominat terras ab Augusto imperio civium adjectas Rhaetiam Illyriamque, commemoratque ferociam exterarum gentium esse pacatam nisi Germaniae. Eodem modo disposuit Epitomator, qui tamen est plenior. § 4—7 enumerat terras, quas Augustus provinciis adjunxit, deinde populos, quibuscum feliciter pugnavit et quos sub ditionem populi Romani redegit aut, ut amicitiam imperatoris peterent, commovit. Postremo, paucis de odio Augusti dictis, quo contra injusta bella, cupiditatem gloriae belli impletus erat, de clade in Germania accepta loquitur. Quae sententiae quomodo apud Aurelium conjunctae fuerint vel fuisse videantur postea videbimus. Mirum autem videri debet, quod Breviator de Aegypto ab Augusto in provinciae formam redacta, tacet, cum vix credibile sit, eum in fonte suo nihil de hac re invenisse, qua Augustus plurimum gloriabatur. Quodsi jam re ipsa verisimile est, ex eis quoque, quae Epitomator de Aegypto affert, apparet. Etsi enim in dubitationem vocari nequit, quin verbis Epitomatoris, quae leguntur § 4 „regionem Aegypti inundatione accessu difficilem inviamque paludibus... patefecit“ Suetonii relatio subesse videatur<sup>78)</sup>, tamen mihi persuasi ab Epitomatore ea esse transcripta ex Aurelio ipso, cujus fons hoc loco non Suetonius sed Tacitus fuit. In hanc autem opinionem adducti sumus minus discrimine, quod intercedit inter verba a Suetonio et Epitomatore usurpata et quod hic apud Suetonium non invenit, unde hauriret „inundatione accessu difficilem in viamque paludibus“, quam quod sicut Tacitus praedicat, Augustum cum de regione colenda tum de firmanda esse bene meritum. Cf. Tac. Hist. I, 11. Aegyptum copiasque, quibus coereretur, jam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum. Ita visum expedire provinciam aditu difficilem annonam fecundam... Non recte igitur hunc ipsum locum commemorasse mihi videatur Opitz l. c. p. 212, quo appareret, Aurelium in capp. I—XI e Suetonio hausisse. Neque quae Epit. § 6 de frumento ex Aegypto in urbem illato refert, e Suetonio deprompta sunt, cum non inveniamus unde petierit, quotiescunque Suetonius de Augusti cura frumenti loquitur<sup>79)</sup>. De „hujus tempore“ confer Wölfflinium p. 289. Et nostro loco et Epit. IV, 10 = de Caes. IV, 2 verba Aureliana sequuntur et indicari mihi videtur illo „hujus tempore“ Epitomator nonnulla fonte praebita praeterisse. Paragraphum septimum, pronomine „iste“ adjunctum, Suetonianum non esse, jam inde intellegitur, quod Breviator et Epitomator, dissidentes a Suetonio, distinguunt terras imperio Romano adjectas et terras subactas aut pacatas, Suetonius inter bella ab eo ipso et per legatos gesta discernit<sup>80)</sup>. Pannonia quidem enumerata est apud Suetonium<sup>81)</sup> inter Aquitaniam et Dalmatiam, rectius eam apud Epitomator ab illis segregatam videmus, cum Pannonii stipendiarii essent facti, illae terrae in formam provinciae redactae.

Quae in §§ 8 et 9 apud Epitomator leguntur et verbis ipsis et re Suetonio auctori adsignanda sunt, tamen multa impediunt quominus contendere nobis liceat, ex Suetonio ipso ea esse transcripta. Quae de Indis, Scythis, Garamantibus, Bactris (Wölfflin vult „Parthis“) sunt dicta, ex Aurelio manavisse, Breviator nos docet. Ordo tantum sententiarum est commutatus quae res fortasse pronomine „hunc“ est significata. Garamantes apud Suetonium desunt. Quo consilio legati Indorum, Scytharum, ceterorum Romam venerint,

76) Enn. p. 388.

77) Suet. vit. Aug. p. 61. Quoniam qualis in imperiis ac magistratibus regendaque per terrarum orbem pace belloque republica fuerit, exposui: referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam, quibusque moribus atque fortuna domi et inter suos egerit a juvenia usque ad supremum vitae diem.

78) Suet. vit. Aug. § 18. Aegyptum in provinciae formam redactam ut ferociorem habilioremque annonae urbanae redderet, fossas omnis, in quas Nilus exaestuat, oblimatas longa vetustate militari opere detersit.

79) Suet. Aug. 37. 41. 42.

80) Cohn l. c. p. 32. Epitome non modo eo a Suetonio recedit, quod Suevos ab Augusto deletos dicit, quos Suetonius cum Sugambis in Galliam translatos esse narret, id quod levitati nimiae et satis notae Epitomatoris tribui potest, sed etiam Chattos Getas Basternasque exhibet, quorum neque apud Suetonium neque apud alium rerum scriptorem ullam mentionem invenies.

81) Suet. Aug. 20. 21.

Epitomator quidem non exhibet, sed ex Breviatoris vita cognoscitur<sup>82</sup>). Idem fere consilium profert Suetonius § 21 cum dicit „ad amicitiam suam (Augusti) populique Romani ultro per legatos petendam“. Hoc quoque afferam, Suetonium primum de legatione Indorum deinde de Persis vel Parthis esse locutum, Epitomatores contrarium servasse ordinem. Nihil autem invenimus, si quae apud Suetonium in vita Augusti § 21 „Parthi quoque et Armeniam vindicanti facile cesserunt et signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt obsidesque insuper obtulerunt, denique, pluribus quondam de regno concertantibus, non nisi ab ipso electum probaverunt“ et apud Epitomatores § 8. „Huic Persae obsides obtulerunt, creandique regis arbitrium permiserunt“ extant, conferimus, quod nobis persuadeat, hoc loco Suetonium ipsum ab Epitomatore esse inspectum. Nam quod uterque scriptor praebet „obsides obtulerunt“ nihil puto; an credis, Epitomatores tantum illorum verborum causa Suetonii librum revolvisse? Vix tamen intellegitur, si Suetonii vita Augusti fons Epitomatoris hoc loco fuit, quomodo fieri poterit, ut ea, quae a Suetonio narrantur de Armenia a Parthis Augusto tradita et de signis militaribus, quae M. Crasso et M. Antonio olim adempta erant, redditis, ab Epitomatore nova quaeque captante omitterentur, praesertim cum haec res tum et postea summis laudibus ad caelum efferretur<sup>83</sup>). Facillime tamen hae difficultates summoventur, si in fonte Aurelii Victoris subsistimus, quem hoc loco non e Suetonio sed e Tacito hausisse censemus. Dicit enim Tacitus Annal. lib. II init. de statu rerum Parthicarum Augusti temporibus et explicat rationem, quae tum inter regnum Romanum et Parthicum intercedebat. Non facile quem fugiet, Tacitum in primo capite magnam vim obsidibus Augusto a Phraate datis tribuisse, cum addit „nam Phraates quamquam depulisset exercitus ducesque Romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat partemque prolis firmandae amicitiae miserat, haud perinde nostri metu quam fidei popularium diffusus“. De signis militaribus redditis nihil est commemoratum; in iis autem quae sequuntur, exponit quidem Armeniam tunc vacuam fuisse interque Parthorum et Romanas opes infidam et cum Parthia amicitia vel societate quadam fuisse conjunctam, ut Artaxias Armeniorum rex, Romanis infensus Arsacidarum vi seque regnumque tutaretur, et Romanos identidem et Armeniis regem dare et res ejus terrae componere tentasse, — sed Parthos Augusto Armeniam vindicanti facile cessisse, nusquam dicit<sup>84</sup>). — Suetonium denique fontem Epitomatoris hoc loco fuisse existimare prohibet praeterea nexus sententiarum, de quo statim dicemus.

Cum in Breviatoris vita Augusti desit, unde enucleemus Epitomatoris ejusdem vitae §§ 10—14, quibus de Augusti odio agitur, quo persequebatur studium imperii amplificandi, cupiditatem gloriae, temeritatem imperatorum, e Suetonio solo (§ 21) cum Epitomatore collato eruendum est, utrum hic ex illo hauserit necne.

Magnum autem discrimen intercedit hoc loco inter utriusque scriptoris relationem, etsi eadem materia, eadem sententiae, eadem saepe verba nobis occurrunt. Epitomator igitur, ut jam vidimus, Suetonium quasi secutus, postquam de nationibus male quietis ad obsequium redactis vel ad concordiam compulsis narravit, magnam imperatoris justitiam praedicat, eumque nisi justis de causis nunquam genti cuiquam bellum indixisse et ardorem triumphandi vehementer odisse laudat. „Nec tamen Suetonium fontem Epitomatoris hoc loco fuisse, concedet, quicumque discrimen animadverterit, quod versatur inter Suetonii verba et Epitomatoris. Non credibile est, Epitomatores Suetonii verba: Nec ulli sine justis et necessariis causis bellum intulit“ commutavisse et auxisse in „Adeo denique turbas, bella, similitates exsecratus est, ut nisi justis de causis nunquam genti cuiquam bellum indixerit“. Neque veri simile est, e Suetonii verbis: „tantumque a fuit a cupiditate quoquo modo imperium vel bellicam laudem augendi“ manasse Epitomatoris: „Jactantisque esse ingenii et levissimi dicebat ardore triumphandi et ob lauream coronam id est folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem civium praecipitare“ quae verba Tacitum, non Suetonium sapiunt<sup>85</sup>).

Suetonius praeterea narrat, virtute imperatoris moderationeque esse factum, ut Indi, Scythae amicitiam Augusti peterent, Parthi Armenia decederent, signa militaria redderent, obsides offerrent, pax

82) de Dativo „orando foederi“ cf. Syntax und Stil des Tacitus v. Draeger § 206.

83) Hor. ep. I, 12. Eutrop. VII, 9. Mon. Ancyr. V, 24 et 28.

84) Tac. Ann. XII, 11. Peter, hist. Rom. III p. 11. 35. 74.

85) de Caes. XV, 4 et 5. Nisi forte triumphorum expertem (esse) socordiae videtur: quod longe secus est, quum majus haud dubie sit, neque quemquam turbare ausum composita neque ipsum ostentandi sui bellum fecisse quietis gentibus.



per multis annis interjectis populo Romano restitueretur, Epitomator, hoc nexu prorsus neglecto, de rebus in Oriente gestis loquitur, ubi de bellis feliciter gestis et nationibus ad oboedientiam et concordiam compulsis agitur, deinde de imperatoris studio pacis ejusque justitia, nexu tali, qualem apud Suetonium vidimus, non perspicio. —

Item in iis, quae sequuntur, sententias apud Suetonium aliter dispositas et inter se conjunctas atque apud Epitomatorem cognoscimus. Suetonius igitur post res militares ab Augusto bene gestas de cladibus acceptis, de dolore, quo iis affectus est imperator, de disciplina militari severissime recta, de donis triumphalibus solis negatis disserit, cum addit, Augusti sententia nihil duci perfecto minus convenire quam festinationem et temeritatem, — Epitomator vero non inepte illi opprobrio jactantis ingenii et levissimi, quo notabat omnes, qui ardore triumphandi et ob lauream coronam securitatem civium in discrimen praecipitent, verba „neque imperatoribus quidquam minus quam temeritatem congruere: satis celeriter fieri quidquid commode gereretur; armaque nisi majoris emolumenti spe, nequaquam movenda esse; ne compendio tenui, jactura gravi petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus, cujus abrupti amissique detrimentum nullo capturae lucro pensari potest“ (§ 12—14) annectit. Tum demum, „hujus tempore“ conjungens, de clade Variana et disciplina militari refert.

Nemo quidem negabit, haec omnia esse Suetoniana, tamen in aperto est, per alium scriptorem, id est Aurelium, ad Epitomatorem pervenisse. Cui sententiae favet illa quoque res, quod eis ipsis locis, quos maxime fontem Suetonianum indicare putares, verba Epitomatoris et Suetonii inter se valde discrepant. Confer cum iis, quae modo rettuli, Suetonii verba: (§ 25) „Proelium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum major emolumenti spes quam damni metus ostenderetur. Nam minima commoda non minimo sectantis discrimine similes ajebat esse aureo hamo piscantibus, cujus abrupti damnum nulla captura pensari posset.“

Denique non est neglegendum, si recte de Aurelii opere judicare volumus, in Breviatoris, non in Epitomatoris vita Augusti narratum esse, Janum ab hoc imperatore esse clausum.

Cf. Suet. vit. Aug. 22. „Janum Quirinum . . . de Caes. I, 3 „quamquam tertius post Numam, victo Antonio, Janum clausurum, quod jure Romano quiescentibus bellis accidebat<sup>86)</sup>“.

Quam rem si Epitomator, non Breviator nobiscum communicasset, sine dubio confirmasset opinionem, qua Epitomator ex Suetonio ipso talia addidisse dicitur.

Verba „hujus tempore“, quibus nullo rerum contextu indicato, ea quae de clade Variana dicta sunt, adjunguntur, lacunam significare videri, jam supra judicavi, neque tamen difficile esse puto eruere, qui harum sententiarum ordo apud Aurelium fuerit. Aurelius Victor demonstrat clade Vari, spem compendii tenuis saepe jacturam gravissimam sequi, praesertim cum duces, cupiditate gloriae occaecati, temere agant, nam nihil aliud nisi ardor triumphandi et laurea corona, haec folia infructuosa, Varum impulerat, ut temere securitatem civium in discrimen praecipitaret.

Si ad Taciti annales oculos conjicimus, primo ad spectu similitudinem quandam et cum Suetonio et cum Epitomatore cognoscimus, majorem tamen cum Epitomatore. Ubi enim Tacitus (Ann. I, 3) de uno bello, quod adversus Germanos supererat, loquitur, Augusti amorem pacis praedicat, cum primam belli contra Germanos suscipiendi causam affert „abolendae magis infamiae ob amissum cum Quinctilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium“. Eisdem igitur sententias, quas apud Epitomatorem legimus de Augusti amore pacis, de bellis non indictis nisi justis de causis, apud Tacitum quoque cum clade Variana conjunctas videmus, eo tantum discrimine intercedente, quod apud Epitomatorem strages Variana poena ardoris triumphandi, cupiditatis gloriae, magnae temeritatis memoratur, apud Tacitum justa causa belli renovandi. Hic vel talis sententiarum nexus apud Suetonium desideratur. Praeterea magnum discrimen inter verba ab Epitomatore et Suetonio usurpata hic versatur<sup>87)</sup>, ut nulla re

86) de Caes. XXVII, 7 quum prius (Gordianus) Jani aedes, quas Marcus clauserat patentes more veterum fecisset.

87) Suet. vit. Aug. 23. Graves ignominias cladesque duas omnino nec alibi quam in Germania accepit, Lollianam et Varianam, sed Lollianam majoris infamiae quam detrimenti, Varianam paene exitiabilem, tribus legionibus cum duce legatisque et auxiliis omnibus caesis. . . Adeo denique consternatum ferunt, ut continuos menses barba capilloque summisso caput interdum foribus illideret, vociferens: Quintili Vare, legiones redde. . . Epit. § 15. Hujus tempore trans Rhenum vastatus est Romanus exercitus atque tribuni et praepetor. Quod in tantum accidisse perdoluit, ut cerebri valido incursu parietem pulsaret, veste capilloque ac reliquis lugentium indicis deformis.

concedere cogamur, hanc partem ab Epitomatore e Suetonio ipso esse derivatam. Cum autem quo loco verba Epitomatoris propius ad Suetonium accedunt, nihil aliud vult nisi Aurelium verba Suetoniana accuratius transcripsisse, quod tum maxime fieri debebat, cum verba vel sententias imperatoris ipsius referebat.

Quod Epitomator cladis Lollianae mentionem non facit, nihil puto, gravioris fortasse momenti est, quod de dolore tantum Augusti, quo clade Vari afficiebatur, loquitur, non Suetonium secutus de terrore et cura ejus. Paragraphum 16 annectit Epitomator cum utitur vocabulo „quoque“, et recte quaerimus, quomodo auctor hoc verbo pergere potuerit, cum in iis, quae modo de clade Variana sunt dicta, si verba tantum intuemur, nihil de ira vel vituperatione, qua res militares notabat, legimus. Neque apud Suetonium invenimus, ducem infelicem esse vituperatum ab Augusto, ut Epitomator, fortasse verbis ejus inductus alias res, quibus imperatoris taedium vel ira commovebatur, enumeraret. Suetonius enim, clade Variana relata, ad res militares, quales sub Augusto erant, transit imprimisque ad disciplinam ab hoc imperatore severissime rectam, et postquam varias poenas, quibus delicta militum puniebat, protulit, pergit: „neque post bella civilia aut in contione aut per edictum ullos militum commilitones appellabat, sed milites, ac ne a filiis quidem aut privignis suis imperio praeditis aliter appellari passus est, ambitiosius id existimans quam aut ratio militaris aut temporum quies aut sua domusque suae majestas postulare“ (§ 25). — Cum apud Epitomatorem desit severitas, qua tractabat milites Augustus, illud „quoque“ ratione nulla adjectum esse videtur. Sed jam supra vidimus, apud Epitomatorem sententias quidem Suetonii extare, sed plerumque immutatas et aliter dispositas. — Quo modo § 15 cum iis, quae antecedunt, cohaereat, jam docuimus, nos recte disse-ruisse hoc § 16 „quoque“ adjuncto nobis persuadetur. Nam ea quoque, quae § 16 nobis narrantur nihil aliud sunt, nisi novum exemplum, quo appareat, quam recte monuerit Augustus, ne compendium tenue gravi jactura emendandum esset: amor militum (dum affectat carior fieri) auctoritatem principis deminutam non pensat. Aurelium autem, non Epitomatorem Suetonii opus ita retractavisse et correxisse vix opus erit iterum commonere; id addo, Paulum Diaconum, qui Epitomatoris librum exscripsit, cum in vocabulo „quoque“ nostro loco (§ 16) haereret, omissa clade Variana doloreque Augusti, quae nexum discindere ei videbantur, verba „Avunculi quoque inventum . . .“ cum iis conjunxisse, quae de magno detrimento cupiditate tenuis emolumenti saepe accepto, exposuit<sup>88</sup>).

Postquam hoc modo narravit, qualis Augustus in imperiis regendaque per terrarum orbem pace belloque republica fuerit, Epitomator ad interiorum ac familiarem ejus vitam se vertit. Fortasse vituperaveris auctorem nostrum quod clementia erga cives, fide in amicos memorata, studiis liberalibus meritisque de legibus correctis prolatisque, de aedificiis, quibus Romam auxit et ornavit laudatis, his verbis: „Fuit mitis, gratus, civilis animi et lepidi . . .“ ad bonos imperatoris mores revertit (§ 22). Rectius quidem haec verba ante § 17 „denique erga cives clementissime versatus est“ vel post eum posuisset, praesertim cum post § 23. „Quorum acies clarissimorum siderum modo vibrans, libenter accipiebat, cedi ab intendentibus tantum solis radiis aspectu suo. A cujus facie dum quidam miles oculos averteret et interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum“, quibus in verbis reprehensio ostentationis inanis inest, ea quae sequuntur „Nec tamen vir tantus vitiis caruit“ minus apte dicta esse videantur quam si sequerentur „urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream“, attamen in memoriam revocandum est, Epitomatoris opusculum nec dispositione nec dictione severius esse aestimandum neque semper eruendum, quomodo haec omnia apud Aurelium copulata ac ligata fuerint.

Suetonius § 51 sqq. de clementia et civilitate Augusti disserit et multa magnaue earum virtutum documenta affert, deinde § 57—60 praedicat, eum pro meritis magnopere esse dilectum. Epitomatorem his locis ad Suetonium se applicuisse, nullo modo demonstrari potest. De Augusti clementia Epitomator ut jam vidimus, nihil dicit nisi „erga cives clementissime versatus est“, de civilitate, quam § 17 praeterit, § 22 disserit et verbis usus, quae sine dubio Aurelium auctorem significant.

Epit. 22. Fuit mitis gratus civilis animi et lepidi.

Brev. § 4. Mores viro civiles lepidique.

88) De Paulo Diacono et quae ratio intercedat inter eum Epitomatoremque confer Opitzium l. c. p. 273 et Maehlyum in Jahnu annalibus philolog. et paedag. 1853 p. 316.

Post clementiam tradit Epitomator, imperatorem fidum fuisse in amicos. Suetonius item illo loco<sup>89)</sup>, quo de Augusti civilitate agit, de amicis ejus loquitur: „Amicos ita magnos et potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari jure essent quo ceteri legibusque judiciariis aequae tenerentur“, sed inde Epitomatorum ea quae profert non sumpsisse, jam ea re cognoscitur, quod non de potentia Augusti amicorum loquitur, quam nusquam commemorat, sed de constantia ejus in amicitiiis retinendis. Paragrapho 66 demum Suetonius<sup>90)</sup> de constantia Augusti in amicitiiis servandis loquitur, neque dubium est, quin inde hauserit Aurelius, nam Epitomatorum Suetonio ipso non esse usum, apparet et ex verbis „rarus quidem ad“ quae constructio ad Aurelium spectat, et ex chiasmo, quem hic adhibuit Epitomator. Ea vero verborum collocativum imitatorum Sallustii, id est Aurelium significat<sup>91)</sup>. —

Suetonius § 66 narrat, amicos Augusti in amicitia ejus afflictos non esse praeter Salvidienum Rufum et Cornelium Gallum semperque in potentia et opibus floruisse, quamquam et offensis intervenientibus; desideravisse enim Augustum nonnunquam et Agrippae patientiam et Maecenatis taciturnitatem, cum ille ex levi frigoris suspicione et quod Maecenas sibi anteferebat Mytilenas se relictis omnibus contulisset, hic secretum de comperta Murenarum conjuratione uxori Terentiae prodidisset. — Epitomator eosdem Augusti amicos commemorat (§ 18), sed non vituperans eos ob taciturnitatem patientiamque nonnunquam desideratas sed potius ob has virtutes laudibus efferens et praecipuos Augusti amicorum nominans. — Etsi quidem concedendum, Suetonii verba ita esse intellegenda ut dicat, Augustum etiam in praeclarissimis amicorum virtutibus interdum aliquid reprehendisse, tamen Epitomatorum hoc loco Suetonium oculis ipsis non inspexisse, inde satis apparet, quod scribit „ob patientiam laboris modestiamque“, industriam igitur amoremque laboris praedicat, non, ut Suetonius, de tolerantia atque robore adversa incommoda sustinendi cogitat. Praeterea apud Suetonium virtus modestiae hic deest<sup>92)</sup>.

De Virgilio quoque (Epit. 18. diligebat praeterea Virgilium) tacet Suetonius et cum e libro de Caesaribus § 4 (mores viro civiles lepidique) et § 5 (necessariorum percultor) intellegatur, Aurelium Victorem de hac re disseruisse, non est cur dubitemus contendere, Epitomatoris verba ex uno Aurelio esse delibata<sup>94)</sup>.

Fortasse propter miram verborum congruentiam putaveris, relationem Epitomatoris (§ 20) de studiis, in quae Augustus incumberebat, ex Suetonii vita Augusti (§ 84) esse delatam<sup>95)</sup>, sed primum Epitomator universe dicit, quod Suetonius de bello Mutinensi tradit, deinde e Breviatoris vita elucet, Aurelium de litteris ab Augusto cultis dixisse (§ 5 doctorum qui abunde erant necessariorumque percultor cum eloquentiae studio ac religionibus mire retineretur) postremo verba ab Epitomatore usurpata ad Aurelii dictionem spectant, nam „in tantum ut“ = „adeo ut“ non Epitomatoris<sup>96)</sup>, ut Wölflinius l. c. p. 292 iudicat sed Aurelii esse, e libro de Caesaribus XL, 24 „quos in tantum afflictaverat, uti praetorianis caedem vulgi quondam annuerit“, facile intellegitur. —

Epitomatorum ad eundem auctorem recurrisset in eis, quae de legibus ab imperatore prolatis aedificiisque Romae exstructis profert, cum ex verbis usurpatis tum ex eorum collocatione concludimus, quamvis arcte cum Suet. § 34 et 28 cohaerere videantur. Commemoro, Epitomatorum magna cum vi in fine eorum,

89) Suet. vit. Aug. § 56.

90) Suet. vit. Aug. 66. Amicitias neque facile admisit et constantissime retinuit. Epit. 19. Rarus quidem ad recipiendas amicitias ad retinendas constantissimus.

91) Breviat. III, 2.

92) Dissentio igitur a Cohnii interpretatione qui l. c. p. 20 de Epitomatore iudicat: „Sed nusquam profecto levitas Epitomatoris clarius elucet quam his duobus locis. In vita Augusti (Aug. 66) Suetonius tradit, Augustum amicitias diu retinisse et in primis Maecenatem et Agrippam in honore habuisse, quamquam illius taciturnitatem, huius patientiam interdum desiderasset. Noster autem (Epitomator) hunc locum, quamvis diserte et dilucide scriptoris apud Suetonium extet, quamvis etiam exemplis a scriptore illustretur, tam male intellexit, ut „desiderare“ hoc loco idem esse atque „amare“ ratus scriberet: in amicis fidus existit, quorum sqq.“ Vix Cohni cuiquam persuadebit scriptorem vel levissimum illa verba non recte intellegere potuisse. —

93) De modestia Agrippae loquitur Breviator III § 2 et 3: Namque per filiam proavus Augustus; genere materno, Agrippa, Drusus, Germanici pater, quo is oriebatur, avi erant. Quorum modestia etc.

94) Optiz. l. c. p. 276 censet verba „Flaccumque poetas“ post „diligebat praeterea Virgilium“ excidisse, cum in histor. misc. p. 176, 22 et in cod. Bamb. extant.

95) Suet. vit. Aug. § 84. Eloquentiam studiaque liberalia ab aetate prima cupide et laboriosissime exercuit, Mutinensi bello in tanta mole rerum et legisse et scripsisse et declamasse quotidie traditur. Epit. § 20. Liberalibus studiis praesertim eloquentiae in tantum incumbens, ut nullus ne in procipectu quidem laboretur dies, quin legeret, scriberet, declamaret.

96) Epit. I, 15. Quod in tantum accidisse perdidit.

quae de legibus aedificiisque dicit, „suo nomine“ posuisse, et iterum chiasmum adhibuisse: „urbem lateritiam reperi, relinquo marmoream“, quam verborum collocationem Suetonius hic non praebet.

Hic dixerit quis ad Dionis librum hoc loco esse recurrendum, qui Augusteum illud, quod tamen aliis quoque imperatoribus velut Juliano tribuitur, item affert, sed de eo vix cogitandum esse e verbis ipsis, quibus alium sensum supponit, elucet.

Dio p. 590 εφη ὅτι τὴν Ρώμην γήϊνην παραλαβὼν λιθίνην ὑμῖν παραλείπω, τούτο μὲν οὖν οὐ πρὸς τῶν οἰκοδομημάτων αὐτοῖς ἀκριβὲς ἀλλὰ πρὸς τὸ τῆς ἀρχῆς ἐχρὸν ἐνεδέξατο.

Quae § 22 leguntur, ea esse Aureliana jam supra (p. 66) demonstravimus<sup>97</sup>). Verba „corpore toto pulcher sed oculis magis“ non ex Suetonio ipso fluxisse, verbis ab utroque auctore usurpatis apparet. De narratiuncula, quae hoc loco inserta est de milite, qui fulmen oculorum Augusti ferre non poterat, et apud Suetonium deest, infra videbimus.

Paragraphum 24 ex Aurelii opere esse sumptum e colore Sallustiano intellegi, jam docuit Wölfflin<sup>98</sup>) eidemque fonti §§ 25—28 adsignandos esse existimem, cum Epitomator et Suetonius et verbis et re maxime inter se discrepent, et nonnulla, quae apud Epitomatorem legimus in Suetonii opere desideremus. Huc accedit, quod Breviatore teste Aurelius de his rebns dixit. Confer Breviatorem de luxuria Augusti modice flagranti, de ludorum ejus cupiditate, de intemperantia ad somnum (cf. infra), de felicitate „absque liberis tamen simulque conjugio“ (de Caes. § 4 et 6). Occurrit statim in oculos discrimen, quod intercedit inter verba Epit. 25 „somnia abstinentes“ et de Caes. § 4 „ad somnum intemperantia“. Breviatorem non recte tradidisse, Suetonius testis adhibetur, sed cum Opitzio non consenserim, qui censet, Suetonium ab Aurelio fortasse negligentius excerptum, ab Breviatore autem non satis intellectum esse, cum Epitomator fontem recte intellexerit. Difficultas mea quidem sententia facile summovetur, si „intemperantia“ trahitur ad „ludorum“ ut vertatur „ludorumque cupidine atque intemperantia ad somnum“. Dicit igitur, Augustum cupidissime aleam lusisse ad multam noctem, ut somno careret<sup>99</sup>).

Neque verisimile est, Epitomatorem ea quae de duodecim catamitis totidemque puellis, inter quos Augustus accubare solebat, e Suetonio ipso deprompsisse, cum haec sententia confirmari non possit, nisi ad errorem confugimus, e Suetonii δωδεκάθεος ortum. Quodsi haud probabile est, in eo quoque est haerendum, quod Epitomator de Augusto deo omnino non loquitur et verbum „catamitos“ apud Suetonium deest. Aurelium igitur fontem esse judico.

Aliud exemplum libidinis Augusti profert Epitomator Scriboniam uxorem ab eo abjectam, cum causam reddit „amore alienae conjugis possessus“, Liviam in matrimonium duxit, quasi marito concedente. (§ 26). Aliter Suetonius. Atque primum nexus sententiarum Suetonii abhorret ab eo, quem apud Epitomatorem legimus. Ille de Augusti vita familiari, hic de libidine ejus disserens ad eas res adducitur. Deinde Suetonius non dicit „abjecta uxore“, sed lenius nomen rei imponens „cum hac etiam divortium fecit“ (§ 62), neque profert causam divortii Augusti amorem Liviae sed Scriboniae mores corruptos, „pertaesus morum perversitatem ejus“ (cf. § 69). Illud quoque, quod Augustus Liviam quasi marito concedente sibi conjunxit (Epit. § 26) apud Suetonium frustra quaerimus; utitur verbo „abduxit“, quod est proprie per vim<sup>100</sup>). Neque Suetonius hoc loco nominat filios Liviae, ut Epitomator, commemorat tantum eum Tiberium privignum elegisse generum (§ 63). Augustum deinde luxuriae serviisse, Aurelius Victor quoque narravit (Brev. § 4) et quae adjungit Epitomator „erat tamen ejusdem vitii severissimus ultor, more hominum, qui in ulciscendis vitiis, quibus ipsi vehementer indulgent, acres sunt“, Aurelium earum contemplationum studiosissimum resipiunt. Apud Suetonium neque de his rebus neque de Ovidio propter tres libellos amatoriae artis exsilio damnato quidquam invenimus<sup>101</sup>).

97) de collocatione verbi „Fuit“ cf. p. 15.

98) Hujus loci stilum ab Epitomatoris genere dicendi abhorreere et verba quae leguntur in vita Tiberii II, 4 „ingenio pessimo truci avaro insidioso“. Sallustium sapere, concedit Cohn p. 26 annot. Leviora tamen sunt quae affert, vitio scribarum fortasse ea verba in Breviatoris libello excidisse!

99) Ep. 45, 9 „intemperantia cibi“. Epit. 42, 18 a cibo vinoque et somno temperans.

100) Tac. ann. I, 16. Abducta Neroni uxor.

101) Opitz. l. c. p. 274 cum historia miscell. p. 177, 19 hoc loco legere vult: „quod tres libellos artis amatoriae scripserat inrevocabili damnavit exsilio“.

De spectaculis, quorum Epitomator § 28 mentionem facit, Suetonius § 43—45 agit, sed non tantum de infinito ferarum numero, quo oblectabatur imperator, quantum de assiduitate et varietate et magnificentia. Neque eam causam apud Suetonium invenimus, qua adductus Epitomatore teste ludos tam varios et magnos fecit, „quod est laeti animi vel amoeni“, quae verba per se ipsa Aurelii opus fontem significant, nam „vita amoena“, „ingenium amoenum“ Taciteum est<sup>102</sup>). Postremo Breviator ipse de Augusti cupiditate ludorum loquitur, ut Aurelius nobis certissimus fons eorum, quae Epitomator de hac re tradit, esse videatur.

In § 29 Epitomator<sup>103</sup>) de Augusti morte et necessaria et Liviae dolo ei allata narrat. Breviator cum Suetonio consentiens (§ 98 et 99) tantum de necessaria morte dicit (de Caes. 3 morbo Nolae consumptus). Vix dubium est, quin Epitomator duo genera mortis in Aurelii historiis invenerit, in quas narratiuncula de interitu imperatori ab uxore parato ut Opitz opinatus est, Wölflin ostendit, e Tacit. ann. I, 3, 5 et 6 manavit. Ut autem hoc loco ita postea quoque Aurelius quae diversa de eadem re putabantur memoriae prodidit, ut ita saepissime discrimina, quae inter Breviorem et Epitomatore intercedunt, facillime explicentur<sup>104</sup>). Qua in re eo minus offendendum esse puto, cum Aurelius sine dubio Tacitum imitatus sit. Is enim, ut exempla afferam, discrepans a Suetonio de morte Poppaeae (Ann. 16, 6.) Burri (14, 51) de incendio Romae (15, 38) diversa tradit, Suetonio unam relationem exhibente. —

Aetatem Augusti ab Epitomatore e Suetonio non esse haustam, docet Suetonii vit. Aug. § 100. Ut autem Tacitus, suspicione mortis Augusti in Liviam collata, pergit „utcumque se ea res habuit“ ita Epitomator Aurelium, Taciti imitatore, secutus: „Igitur mortuum seu necatum“ (§ 30). Et honores a senatu Augusto mortuo, Epitomatore teste, decretos ad Aurelium redire Breviatoris vita Augusti cognoscitur. Nec vestigia desunt, quibus doceamur, verba Epitomatoris: „Utinam aut non nasceretur aut non moreretur“, ab Aurelio esse profecta. Conferas velim de Caes. XX, 7: „adstruentes illum (Septimium Severum) justum nasci aut emori minime convenisse“. —

Ut igitur luce est clarius Epitomatore ex Suet. vit. Aug. §§ 52. 59. 58. vit. Tib. 26 non hausisse, ita vix est, quod contendam, ne Aurelium quidem inde materiam petivisse, sed ex Tacito. In ejus enim ann. I, 10 Augusto opprobrio vertitur, „nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet“, quod crimen negat Suetonius cum dicit § 52 „templa, quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit — nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore — atque etiam argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit“. Aurelium autem ad Tacitum se adstrinxisse docet Brev. § 5: hincque uti Deo, Romae provinciisque omnibus per urbes celeberrimas vivo mortuoque templa, sacerdotes et collegia sacravere.

— Arcissime cum § 30 cohaerent quae sequuntur, neque est, quod nos credere cogat Epitomatore hic ad Suet. § 37. 41. 42 se vertisse. At contra et verba et collocatio eorum: „alterum pessimi incepti exitus praeclari alterum“, Aurelium fontem significant<sup>105</sup>).

Et postremo nos de regni annis quadraginta sex ad Suetonium confugere non necesse esse e Breviatoris narratione, quae eundem numerum praebet, elucet; numerum vero LVI et ipse facillime invenire et ex Aurelio haurire potuit, quem hic quoque Tacitum secutum esse veri haud dissimile est. Confer Tac. dial. 17: statue sex et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rempublicam rexit<sup>106</sup>).

Omnem autem dubitationem, ex quo auctore verba Epitomatoris in fine capitis: „Qui certe nunquam aut reipublicae ad se potentiam traxisset, aut tamdiu ea potiretur nisi magnis naturae et studiorum

102) Tac. ann. II, 64. I, 54.

103) Ep. 29. Annos septem et septuaginta ingressus Nolae morbo interiit. Quamquam alii scribant, dolo Liviae exstinctum“ . . .

104) de Caes. IV, 5 eoque exstincti cum suis plerique ingenio seu metu abstinentes.

Epit. IV, 7 ex quo facto plures, metu abstinentes, exstincti sunt.

Breviorem ex compluribus exemplis saepius elegisse elucet e libro de Caes. 28, 3: Quod quidem demonstratum illo tempore prodigiis portentisque, ex quis unum memorare breviliet . . .

Enmann l. c. p. 373. Victor (Breviator) verrät, dass er einen Zwiespalt der Ansichten vorgefunden hat. c. 30, 31.

105) Confer ea quae de chiasmo supra sunt dicta; cf. Tac. annal. I, 3 ubi de Caesare necato dicitur: „aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus“.

106) Eutrop. VII, 8. Ex eo rempublicam per quadraginta et quatuor annos solus obtinuit. Ante enim XII annis cum Antonio et Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus ejus usque ad finem LVI anni fuere.

bonis abundasset“, manaverint, Wölflin sustulit, cum ostendit, eandem temporum consecutionem propriam esse Aurelii, ut e libro de Caesaribus V, 11: „Ac ni Galba, qui Hispaniae praesidebat, cognito, mandatum sui exitium, quamquam senecta aetate, imperio correpto, subvenisset, tantum facinus haud dubie patraretur“ cognoscitur. —

Hoc modo vidimus, nusquam in hac Epitomatoris vita Augusti quidquam inveniri, quod nobis persuadeat ut cum iis consentiamus, qui Epitomatores praeter Aurelium Suetonii ipsius opere esse usum contendunt. Si quo loco vita ab Epitomatore scripta cum Suetonio arctius cohaerere videtur, causa ejus rei Aurelio soli est deleganda.

Idem cadit in ceteras vitas usque ad Domitianum. Sed cum longum sit, singula quaeque ut in vita Augusti percensere, satis sit locos apponere, qui ad quaestionem nostram aliquid momenti habere videantur.

#### Vita Tiberii.

Praeter verba „Caldius Biberius Nero ob vinolentiam“ = Suet. Tib. 42 nihil in hac vita invenitur, quod Suetonium ipsum sapiat, permulta tamen, quae doceant, Aurelium Victorem pleniorum non minus Tacito quam Suetonio esse usum. Quam rem jam Opitz et Wölflin observarunt; iis, quae a viris doctissimis allata sunt, addo haec:

de Caes. II, 1.	Tac. ann. II, 53.
quaesitissimis . . . libidinibus.	Excepere Graeci quaesitissimis honoribus,
Ep. II, 6.	Tac. ann. VI, 43.
Denique delatum a Patribus principatum fecte abnuere.	delatum ab Augusto consulatum accipere.
id. II, 7.	Tac. ann. VI, 51.
molestiae magnitudinem declinare. (Tiberius).	impudicitiam uxoris tolerans aut declinans. (Tiberius).
id. II, 7.	
sententias promere.	Tac. ann. II, 33. III, 71.
id. II, 1.	Tac. ann. VI, 51.
satis prudens in armis satisque fortunatus ante sumptum imperium sub Augusto fuit.	egregium vita fama quoque quoad privatus vel in imperii sub Augusto fuit. (Tiberius).

Duas protulit causas Tacit. ann. I, c. 7, cur Tiberius dubitaverit regnum suscipere unam: „causa praecipua ex formidine, ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet“, alteram in eod. cap. „postea cognitum est, ad introspectiendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem, nam verba, vultus in crimen detorquens recondebat“. Priorem illam legimus apud Suetonium Tib. 25 et apud Breviatorem II, 1 (ubi quae metuebantur, satis tuta animadvertit) posteriorem apud Epit. § 6 „Denique delatum . . . fecte abnuere, quid singuli dicerent vel sentirent, atrociter explorans“. Unde concludi liceat, in Historiis Aurelii utramque causam scriptam fuisse, e quibus Breviator et Epitomator eligebant.

#### Vita Caligulae.

Quae de loco, ubi Caligula natus esse dicitur, apud Breviatorem et Epitomatores extant, e Taciti ann. I, 41, qui a Suetonio recedit, manasse, vix est, qui neget. Eidem fonti delegandum est, quod uterque scriptor tradit, imperatorem legionibus carum acceptumque fuisse, ut non sit, cur ad Suet. vit. Cal. 9 recurramus. Neque dubitaverim contendere verba quae apud Breviatorem vit. Calig. 1 et 2 leguntur: „Cajus Caesar, cognomento Caligula, aventibus cunctis, deligitur, majorum gratiae parentisque. Namque per filiam proavus Augustus; genere materno Agrippa; Drusus, Germanici pater, e quo is oriebatur, avi erant“, item e Tacit. ann. I, 41 fluxisse vel arte cum eo loco cohaerere. Ut enim memoria Augusti, Agrippae, Drusi animos omnium Caligulae conciliat et ut imperator deligatur efficit, ita illo loco „pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria, socer Drusus“ flectunt seditiosas legiones. Comparantibus deinde de Caes. III, 7 „Ceterum in Caligula haudquaquam vero plurimum ab erant, quippe qui diu immania animi ita pudore et parendi specie obtexerat, uti merito vulgaretur neque meliores famulos neque atrociorum dominum illo fuisse“, et § 3 „Quorum modestia atque immaturo

absque Octaviani interitu vulgus simul matris fratrumque, quos Tiberius exitio interceperat, permovetur, cum eis quae Tacitus et Suetonius exhibent:

Tac. ann. VI, 20.

Gaius Caesar . . . immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris non exitio fratrum<sup>107)</sup> rupta voce . . . unde mox scitum Passieni oratoris dictum percrebruit, neque meliorem unquam servum, neque deteriozem dominum fuisse.

Suet. Calig. 10.

Hic (Calig.) omnibus insidiis temptatus elicientium cogentiumque se ad querelas, nullam unquam occasionem dedit, perinde oblitterato suorum casu ac si nihil cuiquam accidisset; quae vero ipse pateretur, incredibili dissimulatione transmittens tantique in avum et qui juxta erant obsequii ut non immerito sit dictum, nec servum meliorem ullum, nec deteriozem dominum fuisse“ Suet. Cal. 13.

vix dubium erit, utrum scriptorem hic secutus sit Aurelius Victor.

Cognoscas chiasmum de Caes. 2 et 9 = Epit. 4. Verba Epitomatoris III, 6: „de quo nescio an decuerit memoriae prodi, nisi forte quia juvat de principibus omnia nosse, ut improbi saltem famae metu talia declinent“, conferenda sunt cum Tac. ann. III, 62 „quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit“. —

Quod Epitomator § 7 ejusd. vit. dicit: „Primus, diademate imposito, Dominum jussit appellari“ recedens a Breviatore et Suetonio, qui de conatu tantum mentionem faciunt (Suet. Cal. 22, de Caes. 13), levitati ejus tribuendum non esse intelleges ex libro de Caes. 39, 4: Namque se primus (Diocletianus) omnium Caligulam post Domitianumque dominum palam dici passus et adorari se appellarique uti deum<sup>108)</sup>.

Neque necesse est § 9 ex Suet. Cal. 19 haustum esse putemus, cum lib. de Caes. vit. Claud. § 3 doceat in fonte communi de ea re esse dictum.

„Dehinc“ idem valet atque „deinde“<sup>109)</sup>. Verba „dehinc a militibus confossus interiit“ Aureliana esse satis elucet e libr. de Caes. 3, 13.

Animadvertas denique velim, quod discrimen inter Aurelium (Brev. 3, 12—13) et Suetonium (Cal. 56) intercedat, cum alter altera de causa Caligulam interfectum esse tradat.

#### Vita Claudii.

Verba Epitomatoris § 4 „Hujus tempore Scribonianus Camillus intra Dalmatias imperator creatus“ neque ex Suetonii vit. Claud. § 13 neque ex ejusd. vitae § 35 derivata esse, luculenter apparet e verborum ordine Scribonianus Camillus pro Camillus Scribonianus. Cf. Priscus Tarquinius, Pompilius Numa (de Caes. 14, 2) Norbanus Appius<sup>110)</sup>. Idem tradit Tacit. ann. 12, 52: „Pater Scriboniani Camillus arma per Dalmatiam moverat“.

De aqua Claudia cf. Enm. l. c. p. 417, vide supra p. 13. annot. — Tac. ann. 11, 13. (fontesque aquarum . . . urbi intulit.) Suet. vit. Claud. 20.

Comparantibus nobis ea quae apud Suetonium et Tacitum de Claudio censore traduntur, fortasse concludere licet, verba „recte adjecerat“, quae addit Breviator § 3 eis quae de censu novato narrat, Taciti auctoritate valente, esse apposita.

Animadvertas deinde, Breviatorem, Tacitum secutum, his expositis pergere § 4 „Ast ubi Messalinae conjugis“ sqq. Tacit. ann. XI, 25. „Haud multo post flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas. Jam Messalina . . .“

Aliter Suetonius vit. Claud. 16. — De „ingenio seu metu abstinentes“ (de Caes. 4, 5) vide supra p. 21. — de Epit. 4, 8—9 vide supra p. 13. — de Caes. 4, 9 conf. Tac. ann. 11, 26. — de pellicibus et libertis conf. Tac. ann. XI, 29 et 30. — de Messalinae morte ignaro, quasi jubente tamen domino (Caes. 4, 8)

107) Lectio Nipperdei „exitio fratrum“, pro „exilio“, quam exhibent codd., confirmatur libro de Caes.

108) cf. Epit. 35, 5. 41, 14.

109) Wölfl. l. c. p. 295.

110) Wölfl. l. c. Tac. ann. 6, 1. Camillus Scribonianus. hist. I, 89. Scriboniani contra Claudium incepta. hist. II, 75 Scribonianum sub Claudio interfectum.

vide Tacit. ann. 11, 37: prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderat, exsequi caedem, ita imperatorem jubere. Breviator recedit deinde a Suetonio, cum dicit: eoque herilem stultitiam perpulere (scil. liberti) uti senex fratris filiam in nuptias concupisceret, (10), cum, Suetonio teste, tantum illecebris Agrippinae — per jus osculi et blanditiarum occasiones plectus sit in amorem. (vit. Claud. 26). Apud Tacitum vero et hanc et illam causam invenimus (ann. XII, 1—3), ut vix dubium sit, utrius vestigia presserit Aurelius. Epitomator rei tantum mentionem facit. (§ 11) — de Caes. 4, 11 paria extimescere = Tac. ann. 11, 26. „paria metuentes“.

Quod Epitomator dissentit ab Breviatore cum causam Claudii veneno interemti non metum profert uxoris, ne sibi idem periculum immineret atque Messalinae, sed quod „filio imperium procurabat“, nihil est. Non dubito, quin Aurelius, ut saepius, e Taciti annalibus XII, 64 et XII, 9 (quae filio dare imperium scil. volebat.) et hanc et illam causam exscripserit.

#### Vita Neronis.

De Neronis quinquennio, amphitheatro lavaerisque cf. supra p. 12 et 13.

Quae de Agrippinae matris stupro narrat Breviator, non ex Suet. vit. Neron. 28 esse delibata, qui Neronem solum accuset<sup>111)</sup> sed e Taciti annal. XIV, 2 esse desumpta facile concedet, quicumque illum locum attente pervestigaverit.

Caes. V, 8.

Atque inter haec matrem etiam contaminavisse plures habent; dum ea quoque, dominandi ardore, scelere quolibet subjici filium cupit. Id ego, quamquam scriptoribus diversa firmantibus, verum puto . . . Quod his proditum magis, dum quasi quodam progressu illa per adulteros ad patrum nuptias . . . hic paulatim ad sacerdotem Vestae.

Tac. ann. 14, 2.

Tradit Cluvius ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam ut . . . offeret se saepius temulento comptam et incesto paratam . . . Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat . . . seu concepit animo tantum immanitatis Agrippina, seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis stuprum . . . spe dominationis admiserat . . . exercita ad omne flagitium patrum nuptiis.

Verba Ep. § 7 „Ubi adventare Nero Galbam didicit senatusque sententia constitutum, ut more majorum . . . caederetur . . . egressus urbem . . . semet ictu gladii transegit, adjuvante trepidantem manum impuro, de quo diximus, eunucho“. Suetoniana non esse quamvis magna necessitudo intercedat, jam ab aliis est cognitum<sup>112)</sup> cum ab eo et ea re discrepet, quod, Suetonio teste, Nero de senatus decreto certior factus est, postquam ex urbe jam excessit, et Epaphroditus, non Sporus, trepidantem manum morituri imperatoris adjuvat. Praeterea e Breviatoris libello satis elucet, Aurelium hanc materiam suppeditasse. Breviatoris „spado“ nemo esse potest nisi Epitomatoris „Sporus“. — Neophyti nomen apud Suetonium deest.

Neque Epitomatoris verba „Hunc Persae in tantum<sup>113)</sup> dilexerunt, ut legatos mitterent, orantes copiam construendi monumenti. Ceterum adeo cunctae provinciae omnisque Roma interitu ejus exsultavit<sup>114)</sup>, ut plebs induta pileis manumissionum, tamquam saevo exempta domino, triumpharet“ ad Suet. § 57. revocaverim, ubi de provinciis nihil legitur et de gaudio plebis haec tantum extant: „ut plebs pileata tota urbe discurreret“, quae auxisse Epitomator vix putandus sit. — Postremo Suetonio teste Parthi petunt ut „Neronis memoria colatur“ Epitomator ut „copia construendi monumenti“ detur, quod discrimen non neglexerim, quamvis sit leve.

#### Vita Galbae.

Etsi verba Epitom. § 2 „Iste in adolescentes infamis, ad vescendum intemperans fuit trium amicorum consilio, id est, Vinnii, Cornelii, et Iceli, cuncta disponens . . . e Suetonio fluxisse non negaverim,

111) Nam matris concubitus appetisse . . . nemo dubitavit.

112) Cohn l. c. de „more majorum“ cf. Tac. hist. IX, 42.

113) de „in tantum“ cf. p. 19.

114) Caes. 40, 24.



tamen conferas velim Tac. hist. I, 13: Potentia principatus divisa in Titum Vinium... Cornelium Laconem... nec minor gratia Icelo Galbae liberto...

Epit. 6, 4. Quum septuagesimum tertium aetatis annum ageret.

Tac. Hist. I, 49. Hunc exitum habuit Serrius Galba tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus...

De provinciis egregie administratis Epit. 6, 3 = Tac. hist. I, 49.

In Aurelii historiis de Galbae virtutibus, quibus ante imperium sumptum florebat, narratum fuisse, manifestum e Breviatoris verbis evadit: „Quibus rebus instabilior, dum gravius offendunt, quos mollius consulturos spes erat“.

mollius consulturos = Tac. ann. 1, 40 mollihus consultis.

Animadvertas quoque et Epitomatorem et Breviatorem in hac vita materiam suppeditam pari modo disposuisse.

Vita Othonis.

Epit. 7, 1. Salvius Otho, splendidis ortus majoribus ex oppido Ferentano = Tac. hist. 2, 50: Origo illi e municipio Ferentino, pater consularis, avus praetorius = Suet. Otho 1. Majores Othonis orti sunt oppido Ferentio.

Epit. 7, 2 adeo amabilis militibus propriis = Tac. hist. II, 46 nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles.

Vita Vitellii.

Verba Epit. 8, 1. „Vitellius, ortus familia nobili, patre Lucio Vitellio ter consule“ non Suetonii vit. Vit. 7 (ter consulis filium) deberi sed Tacito elucet e Tac. hist. 1, 9 et 52. 3, 66 ann. 14, 56.

Praeterea non est omittendum, Suetonium ubi de origine Vitelliorum dubitat, utrum vetere et nobili an novo et obscuro atque etiam sordido genere sint orti rem in medio relinquere cum dicit: „Sed quod discrepat, sit in medio“ Epitomatore verbis, „ortus familia nobili“ Tacitum secutum esse. Tac. hist. 1, 52. „merito dubitasse Verginium equestri familia, ignoto patre, inparem si recepisset imperium, tutum, si recusasset: Vitellio tres patris consulatus, censuram et inponere jam pridem imperatoris dignationem et auferre privati securitatem“.

Narrationem Epit. 8, 3 „certamine sub muris urbis habito“ et Breviatoris „fuisque apud Cremonam suis“ ex eisdem Aurelii historiis manasse, docet Tac. hist. III, 15 et 82-84. Quem secutum Aurelium et de hac et de illa pugna narrasse verisimillimum est. Apud Suet. 15 nihil extat nisi „Atque ubique aut superatus aut proditus, salutem sibi... pepigit“. Neque dubito quin in historiis Aurelii duae relationes fuerint de morte Sabini, altera qua cum Capitolio concrematus esse (de Caes. 8, 5 = Suet. § 15) altera qua necatus esse dicitur. (Epit. 8, 4. Tac. Hist. III, 74 et 85.)

Denique conferas

Epit. 8, 3 vinctis a tergo manibus... circumducitur ad spectaculum vulgi.

Tac. Hist. III, 84 vinctae pone tergum manus laniata veste foedum spectaculum ducebatur.

De

Vita Vespasiani

jam supra dictum est. (cf. p. 8 sqq.)

Epit. 9, 5 fessumque terrarum orbem.

Tac. ann. II, 42 provinciae... fessae oneribus. (cf. Suet. Vesp. 1 et 8).

Epit. ib. 4 obliqua dicta = Suet. Dom. 2 = Tacit. ann. XIV, 11. Epit. ib. 7 infirmus... adversus pecuniam = Tac. ann. III, 18 satis firmus... adversum pecuniam.

Vita Titi.

Hac in vita imprimis in ea re haerendum est quod Epitomator, discrepans a Breviatore cum Suetonio congruit, Titum imperasse annos duos et menses duos diesque viginti = Suet. vit. Titi § 11 unde factum est, ut Wölfflin l. c. p. 294 censeret „die Uebereinstimmung der Regierungszeit bei Epitomator und

Sueton sei ein untrügliches Zeichen, dass der Epitomator direkt aus Sueton geschöpft habe“. Neque tamen tantum huic uni loco tribuerim, praesertim cum in numeris saepius discrepantiam apud auctores nostros cognoscamus. Ni errorem hic statuere licet, recte Opitzium coniecisse contenderim a lectore aliquo alterum numerum ex Eutropio vel potius ex hist. misc. p. 206, 6 in margine adscriptum geminum loco suo pepulisse, quod in codice Bruxellensi saepius factum esse satis constat. Eoque magis dubitaverim cum viro doctissimo consentire, quod hoc ipso loco et Breviator et Eutropius Suetonii vestigia luculenter premunt, etsi ex eo ipso non hauserunt<sup>115)</sup>.

De Caes. 10, 5 biennio post ac menses fere novem. Eutrop. VII, 22: periit in ea, qua pater, villa post biennium menses octo dies XX quam imperator factus erat, aetatis anno altero et quadragesimo Suet. vit. Tit. 11. excessit in eadem qua pater villa Id. Sept. post biennium ac menses duos diesque XX quam successerat patri, altero et quadragesimo aetatis anno.

Etsi deinde verba Epitomatoris § 2 „Iste a puero praeclaris studiis probitatis, militiae, litterarum instantissime deditus, quo contenderit, animi et corporis muneribus ostendit“ Suetonium (§ 3) sapiunt tamen ab auctore nostro inde desumpta esse verisimile non est, quod permagnum discrimen intercedit. Suetonius enim „de corporis animique dotibus, quae in puero explendebant, de forma egregia memoria singulari, docilitate ad omnis fere tum belli tum pacis artes“ dicit, Epitomator praedicat, Titum a puero praeclaris studiis instantissime deditum, ostendisse animi et corporis muneribus quo contenderet. Epitomatore eo modo fontem immutavisse, vix est qui censeat.

Epit. § 3 „quae eo amplius grata fuere, quod ex nonnullis a privato adhuc patris asperior, luxuriae et avaritiae amans credebatur fore“ admonet de Brev. Galb. 2 „Quis rebus instabilior“ sqq.

Epit. § 4–6 non Suetonio deberi inde apparet, quod alter scriptor alteram causam caedis Caecinae affert. Praeterea verba „adeptus, suspectum quemque et oppositum sibi, invidiosa jactantes, in quis, Neronem opinantes vocantesque“ Aurelium significant. De „unde Neronem . . .“ vide supra p. 11.

In

#### Vita Domitiani,

ut eam quoque breviter perstringam, Suetoniana quidem sunt longe plurima, quae nobis traduntur, tamen idem nobis percensentibus singula occurrit, quod in ceteris vitis cognovimus, discrepare auctores verbis, concinere re.

De Caes. 11, 1. „maculosae adolescentiae“ vide Tacit. hist. IV, 2. 40. 50. 68. 86. — Epit. 11, 2. „clementiam simulans“ magis redolet Tac. hist. II, 40. 86. Agric. 39, 42. quam Suet. Dom. 2.

Ostendisse igitur mihi videor Epitomatore neque ipsis oculis Suetonii vitas Caesarum inspexisse et ex opere quodam hausisse, quod non minus e Taciti annalibus et historiis fluxit quam e Suetonii vitis, id est — ex Aurelii Victoris historiis.

Videamus nunc quid Cohn de fonte Epitomatoris censuerit.

Epitomes igitur fontem praeter libellum de Caesaribus nullum alium fuisse se statuisse putat, nisi Suetonium, non tamen nobis traditum sed auctum ex vetere quodam libro vel ex pluribus libris<sup>116)</sup>. Eo autem more Epitomatore librum suum confecisse, ut Breviatoris libro quasi fundamento uteretur, quae ibi narrata ei sufficere non viderentur Suetonio adhibito expleret. — Vir doctissimus, si auctorum nostrorum diversissimum finem spectantium rationem habuisset, in tantum errorem vix incidisset. — Ubi autem est illud fundamentum in vitis Augusti, Tiberii, Galbae, Othonis, Vitellii? Minora sunt vestigia, quam ut iis iudicium tale niti possit, aut nulla sunt. An putas, vitas tantum Claudii, Neronis, Flavio- rum ei arris- sisse, ut plurima inde delibaret, quem Cohn putat nihil aliud sibi proposuisse nisi ut librum de Caesaribus ex- scriberet?<sup>117)</sup> Cur neglexit Epitomator jam initio opusculi fontem illum praecipuum, cur seposuit post

115) cf. C. Wagener, Philol. Rundschau No. 49: Aus eben dieser Quelle schöpfte auch, wie Cohn im 5. Kapitel p. 37–45 nachweist, Eutrop. In der Recension von Ebelings Quaestiones Eutropianae in der Philol. Rundschau 1, 985 schrieb ich: „Mit dem Resultate des ersten und dritten Kapitels kann ich mich nur einverstanden erklären, da ich auch zu demselben gekommen bin, dass nämlich Eutrop für die Kaiser von Julius Caesar bis Nerva hin weder Sueton, wie man bisher annahm, noch Tacitus noch Dio Cassius benutzt habe, dass er vielmehr einen uns unbekanten Schriftsteller, welcher aus Sueton geschöpft hat, ausschrieb“.

116) Cohn l. c. p. 31.

117) Cohn. l. c. p. 22.

vitam Domitiani, etsi satis materiae suppeditabat? Miror deinde, quod Cohnium, etsi recte observavit, Breviatorem ex Suetonio fere totum pendentem sensum non mutasse, suis tamen verbis plerumque esse usum, fugit, eodem modo Epitomatores concinere tantum re cum illo scriptore, discrepare verbis, cum Breviatorem paene ad verbum excrisperit. Nam Epitomatores neque Suetonii verba neque ordinem rerum neque nexum sententiarum neque ornamenta narrationis neque figuras orationis pariter retinuisse atque Aureliana, quicumque ipse singula quaeque attente pervestigaverit comparaveritque, quae supra attuli, facile mihi assentietur. —

Nihil autem est, quod objicit Cohn l. c. p. 11 „Num cogitari potest, eundem scriptorem (Aurelium Victorem) partim vestigia tam aperte pressisse, ut ad verbum omnia ex fonte hauriret, partim mira quadam sedulitate et diligentia Suetonii narratiunculas libere immutasse?“ — Quid? Vir doctissimus, nonne ipse magno cum studio demonstrare contendit, Breviatorem librum integrum confecisse? Ipse igitur imprimis narratiunculas Suetonianas in fonte repertas mutavisse dicendus est, nisi, cum a consilio abhorrerent, totas omisit. Verum tamen perlustrantibus nobis diligenter libellum de Caesaribus vestigia hic illic apertissima apparent, quae Suetonii vitas saepissime etiam ad verbum in usum vocatas esse ab Aurelio Victore pleniore, ut ita dicam, satis testentur. Quae quidem etsi negare Cohn. p. 10 videtur, cum dicit: „Quo fit, ut pauci extent loci, ubi Suetonii verba apud Victorem redeant, quorum nescio an luculentissimus hic sit: Caes. 4, 4 = Suet. Claud. 16“ tamen ipse affert<sup>118)</sup> satis multa exempla, quibus summus consensus inter Suetonium et Breviatorem intercedens elucet. Accedunt alia, quae illo loco omisit Cohn:

de Caes. 1, 3.

Quamquam tertius post Numam . . . Janum clausit.

Suet. Aug. 22.

Janum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum . . . clusit.

de Caes. 2, 4.

Praetorias, quae dispersae proximis municipiis seu Romae quaeque per domos habebantur, in castra apud urbem redegit.

Suet. Tib. 37.

Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Romae castra constituit, quibus praetorianae cohortes, vagae ante id tempus et per hospitia dispersae continerentur.

de Caes. 5, 2.

Pontum in jus provinciae, Polaemonis permissu redegit . . . itemque Cottias Alpes Cottio rege mortuo.

Suet. Ner. 18.

Ponti modo regnum concedente Polemone item Alpium defuncto Cottio in provinciae formam redegit.

de Caes. 5, 13.

Quis proditis caesisque immanior urbem incendio, plebem feris vulgo emissis, senatum pari morte tollere decreverat.

Suet. Ner. 43.

Initio satim tumultus, multa et immania . . . creditur destinasse . . . senatum universum veneno per convivia necare, urbem incendere, feris in populum immissis.

de Caes. 5, 15.

Nisi ab spadone, quem quondam exsectum formare in mulierem tentaverat.

Suet. Ner. 28.

Puerum Sporum exectis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus.

de Caes. 8, 2.

Moesiae Pannonique exercitus.

Suet. Vit. 15.

Exercitus Moesiarum atque Pannoniae.

de Caes. 7, 5.

Vitellius ab Sabino urbi praefecto Vespasiani fratre sestertium millies pepigerat, arbitris militibus imperio decedere.

Suet. Vit. 15.

Salutem sibi et milies sestertium a Flavio Sabino, Vespasiani fratre pepigit; statimque pro gradibus Palati apud frequentes milites cedere se imperio . . . professus.

118) Cohn l. c. p. 49.

de Caes. 7, 6.  
Ast ubi . . . appropinquare hostes pate-  
factum est.

de Caes. 8, 5.  
Fusisque apud Cremonam suis.

de Caes. 9, 7.  
Romae Capitolium . . . aedes Pacis, Clau-  
dii monumenta, amphitheatri tanta vis . . .  
coepta et patrata.

de Caes. 10, 6.  
Generis humani delicias appellantes.

de Caes. 11, 7.  
Uxore non ignara, quae amorem histrionis  
viro praetulerat.

de Caes. 11, 4.  
Multaque opera inchoata per patrem vel fra-  
tris studio atque imprimis Capitolium absolvit.

de Caes. 11, 4.  
Dacis et Cattorum manu devictis.

de Caes. 11, 2.  
Quippe qui se dominum Deumque dici coe-  
gerit.

de Caes. 11, 4.  
Septembrem Octobremque menses Ger-  
manici superiorem e suo nomine alterum appella-  
verat.

de Caes. 11, 7.  
Libertorum consilio, uxore non ignara . . .  
poenas luit quinto et quadragesimo anno vitae,  
dominationis circiter quinto decimo.

Propter illud Suetonii „anno aetatis“ retineam Breviatoris collocationem verborum „anno vitae“  
quod scribendum esse Opitz censet.

de Caes. 11, 5.  
Ejus foedum exercitium . . . κλινοπάλην vo-  
cabat.

Quae cum ita sint, verisimillimum esse videatur, magnam partem libelli de Caesaribus e Suetonio  
ipso fluxisse. Nec tamen id mihi persuadere possum. Idem contenderim de fonte Breviatoris quod de  
Epitomatoris: non Suetonium ipsum in usum esse vocatum nec primarium fontem nec secundarium, sed  
Aurelium Victorem nostrum pleniorum.

Sed cum in Epitomatoris libro permulta inveniuntur, quae et in Breviatoris et in Suetonii vitis  
Caesarum frustra quaeras, neque quisquam putet, ea hinc illinc ab eo collata esse, Cohn censuit, ea omnia  
in exemplari Suetonii, quo Epitomator usus esset, ab alio quodam scriptore ex aliis fontibus addita esse.  
Videamus, quale exemplar illud Suetonii, quod Epitomator praeter libellum de Caesaribus ante oculos ha-  
buisse putatur, Cohn fingat.

Suet. Vit. 16.  
Nuntiatum est . . . hostes appropinquare.

Suet. Vesp. 7.  
Fusas apud Cremonam Vitellii copias.

Suet. Vesp. 8 et 9.  
Restitutionem Capitolii adgressus . . . tem-  
plum Pacis . . . Divique Claudii in Caelio monte  
coeptum quidem . . . item amphitheatrum.

Suet. Tit. 1.  
Titus . . . amor ac deliciae generis hu-  
mani.

Suet. Domit. 3.  
Paridis histrionis amore deperditam.

Suet. Dom. 5.  
Plurima et amplissima opera incendio ab-  
sumpta restituit in quis et Capitolium.

Suet. Dom. 6.  
de Cattis Dacisque . . . triumphum egit.

Suet. Dom. 13.  
Pari arrogantia . . . dominus et Deus noster  
hoc fieri jubet.

Suet. Dom. 13.  
Germanici cognomine assumpto, Septem-  
brem mensem et Octobrem ex appellationibus  
suis Germanicum Domitiamunque transnominavit.

Suet. Dom. 14.  
Oppressus est amicorum libertorumque  
intimorum conspiratione simul et uxoris ibid. 17.  
Occisus est . . . anno aetatis quadragesimo  
quinto imperii quinto decimo.

Suet. Dom. 22.  
Exercitationis genus clinopalen vo-  
cabat.

Atque primum additamentis illis parvulis, quae apud Epitomatores solum leguntur, Suetonium auctum fuisse putat<sup>119</sup>); nonnulla scriptorem de suo addidisse. Recte se coniecisse, Eutropium esse testem, qui eundem Suetonium auctum usurpasset. Insigne exemplum occurrere in vita Vitellii. Epit. 8, 3 = Suet. 16 = Eutrop. 7, 18. Vix tamen intellego, quomodo illo ipso loco nitatur iudicium, cum praeter „vultum“ omnia Epitomatoris verba apud Suetonium extent<sup>120</sup>). Quid tandem virum illum ignotum hic ad augendum et paulum immutandum movisse putemus? Neque video, cur Eutropius et Epitomator, si eundem Suetonium auctum inspexerunt, in morte Vespasiani describenda non eodem vocabulo uti sint, sed alter „ventris eluvie fessum“ alter „profluvio ventris exstinctus est“, scribat? Quid? Additamentum illud „circa Sabinos“, quod Cohn deinde profert, legimus apud Eutrop. 20 arcte conjunctum cum illis verbis „profluvio ventris exstinctus est in villa propria — circa Sabinos“; jure quaerimus, cur Epitomator ea neglexerit hoc loco et postea demum cum de morte Titi dissereret, adjunxerit? Ubi tandem hoc additamentum in Suetonio aucto collocatum fuisse putandum est? Neque quidquam tribuendum esse censeam eis, quae Cohn p. 42 et 43 de Epitomatoris verbis (10, 9) „quod erat magnificae liberalitatis“ ex Suetonio aucto item additis iudicat. Jam initio vitae Titi Epitomator de imperatoris liberalitate mentionem fecit, et hoc loco exemplum virtutis memoratae affert<sup>121</sup>).

Sed non modo auctum fuisse Suetonium ab Epitomatore usurpatum sed etiam quibusdam locis locis immutatum Cohn statuit<sup>122</sup>). Quam immutationem cum ad res a Suetonio narratas tum ad ordinem rerum pertinuisse. Suet. Aug. 21 = Epit. 1, 7. 8. 9. = Eutrop. VII, 9 et 10. Epit. 5, 7 = Eutrop. VII, 15. Ad priorem locum addiderim, haud parvum discrimen unicuique illos locos inter se comparanti occurrere. Pannoniam enim habet Eutropius in numero terrarum imperio Romano adjectarum vel in provinciae formam redactarum, cum Epitomatores ab illis secernat, dicens „Pannonios stipendiarios adiecit“. Nomina Getarum Basternarumque apud Eutropium desidero, itemque Suevorum et Cattorum. Praeterea non est omittendum, Breviatorem quoque distinguere, dissidentem a Suetonio, terras imperio Romano adjectas et terras subactas aut pacatas. Nonne ejus quoque relatio ex eodem fonte hic pendet? Cohn ipse p. 55—57 exempla luculentissima affert, quibus haec conjectura confirmatur, neque facere potest quin eam comprobet, cum dicit „Itaque efficitur, etiam Victorem Suetonium auctum usurpasse<sup>123</sup>).“ Attamen in hac sententia persistere dubitat, cum haud dubie timeat, ne sibi ipse officiat. Nam si Epitomator in opusculo suo conficiendo ex eodem fonte hausisse putandus est, ex quo Breviator, quis neget, opinionem labefactari, ne dicam tolli, qua Epitomator libro de Caesaribus primario fonte usus sit. Dicit autem Cohn p. 57 et 58 „Cum autem in ipso de Caesaribus libro quamvis diligenter perlegerim Suetonii aucti nulla fere vestigia deprehenderem, nihil certi de hac re affirmare audeo . . . Victorem (Brev.) in libello componendo Suetonium et Dionis et Taciti communem illum fontem usurpasse“. Eoque magis miror, quod eam sententiam retinet, cum duo loci extent, quibus Breviator et Eutropius inter se concinunt et „Suetonium auctum“ sapiunt<sup>124</sup>).

de Caes. 7, 1 = Eutr. 7, 17.

de Caes. 5, 2 = Eutr. 7, 14.

Equidem mihi persuasi, quamvis leves illi loci sint, Breviatorem et Epitomatores eundem fontem usurpasse. —

Sed ne Suetonius auctus et immutatus et emendatus quidem sufficit viro doctissimo, etiam excerptas fuisse Suetonii vitas in fonte ab Epitomatore in usum vocato censet<sup>125</sup>). Quid? Exemplar illud Suetonii, quod primum additamentis brevissimis scilicet in margine scriptis, unde postea in textum irrepserunt, auctum esse videbatur, quid aliud jam est factum nisi novum opusculum, cujus fons praecipuus Suetonius sit? Novum tantum nomen protulit Cohn et id quidem falsum, cum ipse concedat Suetonium non modo auctum verum etiam immutatum, emendatum, excerptum fuisse. Quo jure igitur fonti Epitomatoris

119) Cohn. l. c. p. 32—35.

120) Lego quidem pro „subrecto — subjecto“, quam lectionem codices complures praebent. cf. Roth. edit. Suet. praef. XLVIII.

121) Eutrop. 7, 21.

122) l. c. p. 43.

123) Cohn. l. c. p. 10: „Sed Opitizium fugit, fieri potuisse, ut Epitomator librum de Caesaribus, quo certe usus est, cum ipsius Victoris (Brev.) fonte contaminavit, id quod infra comprobare conabor!“

124) Cohn l. c. p. 58.

125) l. c. p. 44.

dedit nomen Suetonii aucti? — Videamus, quo modo Cohn in hunc errorem inciderit. Omitto viros doctos, qui demonstrasse sibi videntur, scriptores quosdam veteres auctos et immutatos fuisse, neque quidquam in dubium voco. Timeo tamen, ne via, quam ingressi sunt, tam facilis quam lubrica sit. Rem ipsam spectemus.

Gravissimum testem de Suetonio aucto Servium esse Cohn putat. Legitur enim apud eum ad Aeneid. VIII, 680: Naturaliter enim Augustus igneos oculos habuisse dicitur adeo ut obtutum ejus nemo contra aspectare posset: denique quidam eques Romanus interrogatus ab eo, cur se viso verteret faciem, dixerit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum sicut ait Suetonius“. Quae narratiuncula deest in Suetonii vita Augusti, extat apud Epitomatores 1, 20. Jam Wölflin (p. 295) huic loco operam dedit et censuit, hoc militis exemplo, quod Servius apud Suetonium extare contenderet, confirmari iudicium suum de ratione inter Suetonium et Epitomatores intercedente: „Dass die Epitome nicht als blosser Auszug aus Aurelius Victor aufgefasst wurde, sondern dass man im Gegenteile in capp. 1—11 aus Sueton geflossene Bestandtheile anerkannt habe“. Quid ita? Nulla re cogimur putare, Servium Epitomatoris libellum ante oculos habuisse, praesertim cum non „miles Romanus“ dicat Servius sed „eques Romanus“, quod pro „miles“ scribi non potuit, cum ex „eques“ facillime „miles“ oreretur. Nonne rectius Wölflin iudicasset, Servium Aurelii historias in manibus habuisse et indicare voluisse, ejus operis maximam partem e Suetonio manasse? Sed verba „sicut ait Suetonius“ prohibent de errore cogitare. Quam ob rem Cohn censet, illa verba e Suetonio aucto fluxisse. Jam supra demonstravi veridissimum esse, librum excerptum ex Suetonio, ex aliis auctum, immutatum, nomen Suetonii servavisse. Nam qui rem Cohnio concedat, nomen sine dubio rejiciet. Hoc tamen loco nomen tantum agitur. Quod deinde Cohn profert (p. 60 sqq.), eundem Servium bis nomen Quirini pro Thurino Suetoniano (Suet. Aug. 7) exhibere, levius mihi videatur; neque mihi persuaderi potuit locis illis a Lydi libris de mensibus et magistratibus repetitis. Nusquam enim cogimur de Suetonii vitis Caesarum cogitare; Suetonium autem plurimos libros de permultis variisque rebus confecisse quis est, qui nesciat? Lydus in libro de mag. 1, 12 p. 131 narrat, Suetonium laudans<sup>126</sup>), Augustum semper vestitus antiqui amantem fuisse. Cum similia praebeat Suetonius in vita Augusti, nec tamen omnia, Suetonium auctum a Lydo exscriptum esse Cohnii sententia necesse est. Immo vero totus locus spectat sine dubio ad Suetonii librum amissum „de genere vestium“, ubi de Augusto quoque egisse Suetonium vix quisquam negabit. Idem iudicandum est de Lyd. de mensibus 3, 39 p. 45 et Suet. Aug. 15. Cum Suetonius in vit. Aug. non totam materiam suppeditet, quae apud Lydum invenitur, iterum ad Suetonium auctum recurrit Cohn. Quis autem putet, Lydum de mensibus scripturum Suetonii vitas Caesarum vel integras vel excerptas auctas, immutatas revolvisse?

Nonne ejusdem potius auctoris librum *περὶ τοῦ κατὰ Ρωμαίους ἐνιαυτοῦ*, qui erat liber VIII Praetorum, in usum vocavisse fontem primarium putandus est? Huc accedit quod Suetonium libros quosdam graece scripsisse verisimile est. Ingentem autem materiam a Suetonio in libros singulos conlatam scholiastis imprimisque Servio grammatico fontem uberrimum fuisse, vix memoratu opus est.

Sed hanc provinciam valere jubeamus, in qua hoc nos effecisse speramus, ut neque Epitomatores ex Suetonio ipso hausisse et libellum de Caesaribus et Epitomen ex eodem fonte — Aurelii Victoris historiis — derivata esse demonstraverimus.

<sup>126</sup>) καὶ τοῦτο Γράγκυλλος ἐν τοῖς περὶ Ἀυγούστου διαμύνηται.